7
9-B
36

7
9 M
25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7-9-B-36

Digitized by Google

Digitized by Google

7
9 B
36

7
9 M
25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7-9-B-36

Digitized by Google


DEPLORATIO
PACIS GERMANICÆ,
SIVE
DISSERTATIO
DE PACE PRAGENSI,
TAM INFAVSTE QVAM INIVSTE INITA PRAGÆ BOHEMORVM $\frac{20}{30}$ MAII: M. DC. XXXV.

In qua artes & techna Auſtriacorum, vœcordia Saxonum, pericula Proteſtantium, & æquitas belli à Francis & Suecis iure prolati euidentiſſimè oſtenditur,

AVTHORE IVSTO ASTERIO ICTO.

Ierem. VI. §. 14. & VIII. §. 11. Sanabant contritiones populi mei ad ignominiam, dicentes, Pax, pax: & non erat pax.

Bibliotheca Coll. Rom.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ex legato

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Typographi Regij ordinarij, viâ Iacobæâ, ſub Ciconijs.

M. DC. XXXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

LVDOVICO XIII.

GALLIÆ ET NAVARRÆ REGI CHRISTIANISSIMO VICTORIAM ET FELICITATEM perpetuam precatur

I. A. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OFFERO Maieſtati tuæ, DOMINE, *defenſionem litis libertatiſque communis, quam tuis ſub auſpiciis orbis vniuerſus præſtolatur. Nemini cauſa eius rectius conſecrari, quia à nemine fortius poteſt vindicari. Rei præſtantiſſimæ controuerſia eſt publica: ideo non niſi apud eos agi debet, quibus incumbit ſalus publica. Orbis Chriſtiani ſecuritas impetitur: iccirco ſolatium ab eo duntaxat acceſſendum, qui cum poſſit vult, & cum velit poteſt ſolus tran-*

*quillitatem orbi reddere. Ambitio hoſtium in-
ſatiabilis, dum bellum præparat Europæ, pa-
cem fucatam publicat Germanis: vt aperte
poſsit fallere, occultè paciſcitur: vt tutius de-
cipiat inermes, bellum ex Imperio nomine te-
nus eliminat. Pactionem hanc fraudulen-
tam reiecit Suecorum virtus, repulit Franco-
rum fortitudo, deſpexit Proteſtantium con-
ſtantia. Hac de cauſa vt pacis communis ho-
ſtes, & quietis publicæ turbatores proſcribun-
tur: & quamuis armis concordiã petant com-
munem, ſoli & innocentes belli diuturni
culpam ſuſtinent. Calumniæ iſti obuiam imus
hoc opere, & ſpicula in aduerſarios retor-
quentes oſtendimus, eos ſolos pacis hoſtes eſſe
coniuratos, qui quietis nomen ore circumfe-
rentes, corde bella perpetua meditantur ac
diſcordias: & tyrannidi libertatem, inuaſio-
nibus pietatem, conſpirationibus ſecuritatem
publicam prætexentes, fucata ſpecie & ſpe-
cioſo fuco rebus turpiſſimis honeſtiſſima no-
mina, & honeſtiſſimis nominibus res turpiſſi-
mas attribuunt. Quaſi vero Vos arma illis*

ſponte

ſpontè inferatis, non verò Vobis ac ſociis vltrò illata coacti repellatis: aut illi pacem vnquam obtulerint niſi iniquam, Vos verò æquam aliquando recuſaueritis: aut denique illi firmam tranquillitatem ſperare poſſint, quamdiu ſibi aliena, & quæ habent retinent, & quæ non habent vendicant. Verumtamen hominibus, quibus nullus ſuppetit extranea occupandi titulus, vocum fallacias perſequi opus eſt, & ſibi credulos tam dictis quam factis decipere. Tu DOMINE, *qui iuſtitia comite omnia peragis, verborum inuolucris non indiges; ſed quem vita præſtas, verbis candorem exprimis. Quippe publicæ tranquillitati non priuatis commodis inuigilans, tua ita defendis, vt aliena non concupiſcas: ſocios ita protegis, vt ritu hoſtium non opprimas: & cum nemini facias, factam tamen fœderatis vlciſceris iniuriam: Imperijque tui terminos magis gloria geſtorum, quam prolatione limitum promoues. Vnde inter tuos & hoſtes ſicut nulla poteſt eſſe collatio populorum, vel comparatio virium; ita ingens in-*

Digitized by Google

ſuper eſt diſſimilitudo cauſarum. Illi cupiditatem horribilem omnibus dominandi profitentes, ex priuata regnandi libidine litem faciunt Eccleſiæ vel Imperij illaceſſiſti arma violenta refragantibus inferunt: populos ſpecioſis nominibus ineſcatos ambitioni ſuæ ſeruire cogunt: & Germaniam grauiſſimo bello iam à multis retrò annis oppreſſam, viribuſque & opibus omnibus exhauſtam, deſperationis neceſſitate ſub iugum mittere tentant. Tu ditionibus auitis, triumphis proprijs contentus, arma nunquam ſumis, niſi inuitus, nunquam ponis niſi volens; ijſque duntaxat ad Tuorum, ſociorum & iuris communis defenſionem vſus, libertatem omnium, ſecuritatem ſingulorum, & ſalutem Europæ eadem tueris alacritate, qua moderaris æquitate. Vnde fit, vt cum ab illis Imperij videatur appetita captiuitas, à Te repetita libertas; ab illis turbatus orbis, à Te pacatus; ab illis oppreſſa, à Te reſtituta Germania: ita ſupernis legibus cuncta cadant, vt tecum militante iuſtitia, virtute, felicitate;

cum hoſtibus ſtante perfidia, ignauia, calamitate, prouidentia alteri veſtrûm fateatur ſe victoriam, alteri debere vindictam. Accipe igitur REX CHRISTIANISSIME *actionem cauſæ publicæ, & quam opere vindicas, ſcriptis agnoſce belli continuati innocentiam. Pateat libertatis defenſioni Maieſtatis tuæ præſidium, quæ à prima ætate exulibus aſylum, fœderatis refugium, afflictis ſalus, & populis omnibus certiſſimum fuit ſolatium. Hac freti ſocij & bellum ab hoſtibus non metuent, & pacem à Te legitimam ſperabunt: quam cum ius libertatis communis obtinueris, voles; cum volueris, dabis; & cum dederis, in perpetuum conſeruabis.*

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII
à Chriſtianiſſimo Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, & patentibus eius literis cautum, Ne quis in regno ipſius, aliiſve locis eius ditioni ſubiectis, intra decē proximos annos à die perfectæ primæ Impreſſionis inchoandos ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inſcribitur *Diſſertatio de pace Pragenſi, Authore Iuſto Aſterio* ICTO, præter Sebaſtianum Cramoiſy Typographum Regium, & Bibliopolam Iuratum Pariſienſem; aut illos quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regis omnibus eius ſubditis, eundem Librum extra regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam vbicúmque fuerit, ad id agendum impellere ac inſtigare, ſine conſenſu dicti Sebaſtiani Cramoiſy, ſub pœna confiſcationis Librorum, aliiſque pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. DATVM Pariſijs, 8. Iulij. 1636.

Sic ſignatum,

De mandato Regis,

VICTON.

Digitized by Google

BREVIARIVM SEV CONSPECTVS TOTIVS OPERIS.

Tractationem Pragenſem ab Imperatore & Saxone contra Proteſtantes, Suecos & Francos initam, pag. 5. probatur eſſe nullam, irritam, iniquam, pag. 10. ex quinque capitibus ſeu Nullitatibus generalibus:

PRIMA NVLLITAS ex parte Imperatoris. pag. 11.

I. Quia tractatio de bonis Eccleſiaſticis excedit poteſtatem Cæſaream. p. 12

II. Quia fundata eſt in Tranſactione Paſſauienſi, quæ nullius eſt apud Auſtriacos momenti. p. 17.

III. Imperatores ipſi fatentur ſui iuris non eſſe, quicquam in negotio religionis ſtatuere. p. 22

IV. Ideoque eiuſmodi pactis cum Hæreticis ſeſe obligatos non eſſe. p. 24

V. Quia ipſa tractatio Pragenſis Imperatori & Catholicis perquam eſt ignominioſa. p. 29

SECVNDA NVLLITAS ex parte Ducis Saxoniæ. p. 30

I. Quia ipſe, licet Proteſtantium principem ſe ferat, tamen diuortio iſto ſuas ſociorumque vires peſſumdat. p. 30

II. Quia tractatio pacis communis excedit poteſtatem Ducis Saxoniæ. p 33

III. Quia Tranſactio iſta Ducis Saxoniæ Proteſtanti-

bus damnoſa eſt & inſidioſa: & p.35
IV. *Ex immani ingratitudine, & horrenda proditione emanat.* p.37
TERTIA NVLLITAS ex parte Proteſtantium.
I. *Quia Proteſtantes incitati à Saxone bellum Imperatori intulerunt.* p.44
II. *Quia non ad pacem, ſed ad bellum nouum conſentire coguntur.* p.48
III. *Regnum Bohemiæ familiæ Auſtriacæ malè redditur hæreditarium.* p.53
IV. *Sileſia inſons iuribus ſuis ſpoliata.* p.61
V. *Luſatia iniquè à Regno Bohemiæ diſtracta.* p.66
VI. *Dignitas Electoralis Palatina malè in Bauarum tranſlata.* p.68
VII. *Bauaris ex antiquo ius nullum in Electoratu.* p.76
QVARTA NVLLITAS ex parte Suecorum. p.85
I. *Quia Sueci ſuo nomine belligerantes, ſuo etiam iure paciſci debent.* p.88
II. *Quia Dux Saxoniæ priuato nomine Suecis vltrices Diras debet.* p.90
III. *Quia Sueci fœdera & militiam turpiter deſerere non poſſunt.* p.92
IV. *Nec ſub infida Saxonis cautione cum Auſtriacis paciſci audent.* p.94
QVINTA NVLLITAS ex parte Francorum.
I. *Quia Rex Chriſtianiſſimus protectionis iure fidem Catholicam in Imperio conſeruauit.* p.97
II. *Protectio Principum & Ordinum Imperij, Regi Francorum crimini dari non poteſt.* p.101
III. *Illuſtriſſimus Treuirorum Elector iuſtè & opportunè Francorum protectionem obtinuit.* p.105
IV. *Quia Cæſar lites priuatas Hiſpanorum cum Francis toti Imperio communes facere conatur.* p.108

V. *Quia Imperatorem cauſa Lotharingica nihil attinet.* *p.*110

Reiiciendam igitur conſpirationem iſtam Triumuiralem, & pacem veram, honeſtam, & vniuerſalem, communibus armis propugnandam, concluditur pag. 111.

IN NATALES TRANSACTIONIS PRAGENSIS.

Praga atrox orbi quæ protulit impia bellum,
Quo pacto pacem redderet illa bonam?

T.S. B.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE PACE PRAGENSI.

PAcis auguſtum nomen, alma fœcunditas, optanda felicitas; pacis beata ſemper poſseſsio, nunquam non appetenda conceſsio. Neminem profectò mortalium adeo ab humanitate alienum reor, qui requiem tam neceſſariam imperio, tam ſalutarem patriæ velit inuidere: quippe ſine qua nec priuati foci, nec publicæ leges, nec ſocietatis communis iura queant ſubſiſtere. Neminem tam barbarum & efferatum arbitror, vt cæteris paribus togæ ſagum, paci bellum malit anteferre: cum in hac rerum viciſsitudine ex negotijs otium, ex turbis requies, ex armis amor quæratur & concordia. Cæterum

vbi dominationi libertas, exitio ſalus Reipublicæ,& iniquiſsimæ conſpirationi ſpecioſum pacis nomen prætexitur; vbi obtentu quietis miles inquies lares alienos populatur: vbi denique conditio inſidioſa veniæ illecebra eſt potentiæ: ſapiens quiuis paci infidę Martem etiam ancipitem, exitio certo ſalutem incertam, & dominationi iuratæ ſeruitutem præferet iniuratam. Fateor equidem miſerrimę Germaniæ nihil contingere poſſe, aut certius ad ſalutem, aut nobilius ad gloriam, aut optatius ad priſtinam felicitatem: quam ſi conſenſu Principum, & pietate procerum auitæ concordiæ, & pene iam oblitæ tranquillitati reſtituatur: nec minus gloriæ partum iri Imperatori, qui patriam cladibus exhauſtam, populos priorum temporum iniuriis efferatos, & more Barbarorum in ſua viſcera ſæuientes, dulci pacis vinculo ad concordiam redegerit: quam diuinitatis tributum fuit ei, qui primus tot gen-

tes,

Digitized by Google

tes, tam diuerſas moribus animi, quam climatum ſi tu in vnum corpus coëgit, & legum iuriumque communione ampliſsimam Europæ Rempublicam conſtituit. Verumtamen Tranſactione Pragenſi non mitigata odia, ſed inflammata; non poſita arma, ſed duplicata: non imminutas proſcriptiones ſectionéſque, ſed vltra fas & ius extenſas, triſtis clamitat experientia. Nam poſt quam in ipſo ſtatim frontiſpicio Principes exteri fuerunt excluſi, in progreſſu pleræque Germaniæ arces, ciuitates, regiones inter proceres diuiduntur: reliqui non cauſa, ſed robore impares, proſcripti ditionibus patriis exuuntur; ſpolia prouinciarum, exuuiæ exulum, bona peremptorum applaudentibus diſtribuuntur: mox confirmandis tutandiſque vſurpationibus, exercitus octuaginta legionum Germaniæ imperatur; & quaſi leges & iudicia pacificationem iſtam reſpuerent, negotia Cameræ Imperialis & Conſiſtorij ſa-

cri prorſus indeciſa relinquuntur. Non vllum hic ex pace ſolatium, vel minimus quidem tranquillitatis publicæ fructus oſtenditur: quin potius bellum inexpiabile omnibus indicitur, qui vel de illatis iniuriis conqueri, vel de conſpirationis huius iniquitate muſsitare auſi fuerint. Non hic, quod pace legitima decebat, priores Ordinum contributiones, regionum populationes, ſubditorum tribulationes ſublatæ, nec mitigatę quidem; ſed in immenſum auctæ, edicto publico ſtabilitæ, & (ſi Dijs placet) ex ſtipendijs extra ordinem factæ ordinariæ. Nationes Barbaræ ex Imperio non abductæ vel ejectæ, ſed velut diluuio quodam ſuperfuſæ, & quaſi portis patentibus globatim immiſſæ: Ne dicam vacuatas municipibus ſuis vrbes, impletas fugitiuis ſolitudines, virorum ciuitatumque teſtatę innocentię bona publicata, capita diminuta, vitam ære taxatam. Adeo luce meridiana clarius eſt, pręfata tranſactione

non

non tam quęſitum, vt labentibus fortunis patrię conſuleretur; quam modis omnibus tentatum, vt reſtantibus Imperij Ordinibus ſub pacis nomine illuderetur; vt reliquę Proteſtantium vires afflictis Auſtriacorum rebus ſuccurrerent: vt arma communia totis viribus in rebelles, vt vocant, & exteros verterentur: atque ita pro concordia diſcordia, pro fide perfidia, pro bello iuſto nefarium & deteſtabile ſuſciperetur: & quæ turbis duodeuiginti annorũ ſuperſtes fuerat Germania, pacificatione quadrimeſtri tandem peſſumdaretur. Scilicet vergentibus domus Auſtriacæ fatis, nihil iam fortuna pręſtare maius potuit, quam hoſtium diſcordiam: inclinantibus iam pridem aquilis nihil accidere potuit gratius, quã vt quos metuerant coniunctos, diſsiparent ſeparatos: & quos armorum robore ſuperare hactenus non valuerant, nunc ſubdolæ pacis prætextu ineſcarent. Nec exiguum ſanè fuerat operæ pretium, vno *Narratio*

calami tractu tam ingentes exercitus diuidere, tot Proteſtantium fœdera tam ſolemniter iurata diſſoluere; potentiſsimos inimicorum vertere in amicos; pro aduerſarijs adſciſcere auxiliatores; fidem Germanicā perfidiæ nomine apud exteros traducere: efficere denique vt dum ſinguli pugnant, ſinguli vincantur; nec potentiores alio quam Vlyſsis priuilegio gaudeant, primitus ſeruandi, vltimò deuorandi. Aſſumptus eſt in negotiationis huiuſce partem Illuſtriſſimus Dux Saxonię, vt viribus ſuperior, ita gloria rerum geſtarum inferior: qui æmulatione neſcio qua, an potius inuidia victoriam Suecicarum, quum æquas honoris partes indipiſci non poſſet, defenſorum ſuorum maluit eſſe hoſtis & decoctor, quam ſocius & debitor: eò iniquiore fœderis iſtius temperamento, quod quomodocunque res cecidiſſent, certus erat, ſe ſubleuando alios, vniuerſam belli Germanici molem in ſeipſum

ſubditoſque ſuos deriuaturum. Certè Imperatori nihil magis ex voto obuenire potuit, quam immenſum belli onus, ſub quo ipſius regiones iam dudum fatiſcebant, diſtrahere; eiuſque potiſſimam partem humeris præcipui Electoris imponere; indubitata coniectatione, ſiue ille vinceretur, ſiue vinceret, ſe vtrouis modo de hoſtibus triumphaturum. Ita quæſita diu, obtenta ſemel pacificatione, vt propriis commodis deuinciret ſingulos, & communione ſpoliorum hoſtes verteret in ſocios, Electori Saxoniæ, præter bona Eccleſiaſtica iam ab annis centum & amplius vſurpata, Marchionatum Luſatiæ, ipſiuſque filio Archiepiſcopatum Magdeburgenſem: Duci Bauariæ Electoratum Palatinum, & ciuitatem Donauuertam: Principi Brandeburgico Pomeraniæ, Luneburgenſi Ducatus Brunſuicenſis feudum conceſſit: & Ducibus Megalopolitanis, pacificam regionis ſuę poſſeſsionem, quam iam pri-

dem virtute Suecorum obtinuerant, indulſit. Sibi ipſi ius hæreditarium in regnum Bohemiæ, eique vnitas prouincias Sileſiæ, Morauiæ, &c. authoritatem ſummam in dijudicandis rerum ſacrarum profanarumque controuerſijs, & dominium peculiare arcis Philippicæ ſumpſit: Regi Hungariæ imperium abſolutum in omnes legiones Germaniæ, & filio minori natu Epiſcopatum Halberſtatenſem retinuit. Principes denique, ſi non iure, certe armis, vt videbantur inferiores, puta Palatinos, Chattos, Vvirtembergenſes, partim ſupplices ad impetrandam veniam prouolui iuſſit, partim in ſecreto proſcriptorum albo ab omni ſpe veniæ & ἀμνηστίας, vt vocant ſubmouit: non potiore ductus argumento, quam vt eiectorum exuuiis reliquos, qui fidelem ipſi operam vel olim nauauerant, vel nuper ſpoponderant, remuneraretur. Hac ratione vnitis Imperij viribus, titulo recuperandæ Lotharingiæ, Francis;

Francis : ſpecie vindicandæ libertatis Germanicæ, Suecis bellum interneciuũ indixit:non alia motus ratione, quam quod duo iſta regna potentiæ Auſtriacæ & Monarchiæ Ibericæ fatales hactenus remoras obieciſſent. Triumuiros ferunt, vt inauditę ſuę proſcriptioni beneuolentiam populi conciliarent, proceres partim poſſeſſionibus occiſorum, partim Magiſtratibus ſacerdotiiſque defunctorum ineſcaſſe: milites patrimonijs deuictorum, & commeatibus vrbium ſine pretio ſuppeditandis deuinxiſſe: ciues decima prædiorum, & altera redituum parte mulctaſſe; ſummi beneficij loco imputantes, quod à quibus decima bonorum exigeretur, eis ne decima quidem facultatum relinqueretur. Verum intra priuatos parietes rabies iſta ſiſtebat, vnius vrbis termini cædibus metas ponebant, & carnificina paucorum redimebatur incolumitas omnium. Hic omnium ciuium, omnium prouincia-

Dion Hiſtor. lib. xlvi. p. 335.

rum idem eſt diſcrimen: nulla vrbs, nulla regio, municeps nullus belli difficultatibus exemptus: nullus Germaniæ angulus militum rapinis inacceſſus: fæderati æque ac hoſtes contributionibus immenſis opprimuntur, & quaſi bello octodecennali nondum ſatis ſanguinis effuſum eſſet in Germania, arma adhuc ſociorum cæde cruenta in Galliam & Sueciam transferuntur. Attamen, quicquid humana allaboret induſtria, quicquid in innocentium perniciem moliatur inuidia, manet inuicta cauſæ cõmunis æquitas: nec hactenus malè cogitatis ſucceſſus, nec peſſimè cæptis adfuit euentus: quin æque infelix reſtat pacis iſtius executio, quam iniuſta prius fuerat eiuſdem tractatio. Adeo verum ſemper illud prouidentiæ effatum, fortunam reſpondere propoſitis, ſortem conformari ingenijs, malumque cõſilium conſultori eſſe peſſimum. Nec mirum ſanè pacificationem tam infauſtam, tam iniquam bel-

Propoſitio.

lum magis accendiſſe,quam extinxiſſe: cum eius Authores vnicum hoc egerint, vt bono publico præferrent rationes priuatas; ſtabilitatem ſuam ruina redimerent aliorum; & pro quiete quorundam ſecuritatem omnium impenderent. Sic abeuntibus in diuerſa ſtudiis partium, pro pace vniuerſali prodijt tranſactio particularis, Imperatori dedecora, Saxoni turpis, Proteſtantibus infida, excluſis caſſa, externis propudioſa: & tam ratione contrahentium, quam cauſa eorum, contra quos contracta fuit, nulla & inualida. Nam primo, vt omittam non poſſe paucos Germaniæ Principes, qui in cauſa communi non ſunt iudices ſed litigantes, in conuentu priuato ſtatuere de rebus Imperij: cõtrouerſias in Comitijs generalibus componendas, in receſſu Pragenſi pro libitu ponderare: de pace ad tranquillitatem orbis Chriſtiani ſpectante, intra ſecreta vnius vrbis conferere: Et denique ex angulo vnius regni, tot

Confirmatio I. ex parte Imperatoru.

Principibus, Dominijs, regnis bellum exitiale indicere: Illud certum eſt apud Doctores partium Auſtriacarum, non poſſe Imperatorem fœdus legitimum, & ſtabile ſancire cum Hæreticis ea conditione, vt prædia & iura Eccleſiaſtica, nuper ab ijs vſurpata, liberumque hæreſeos exercitium in Imperio eis concedat. Ita præter alios iam pridem docuit Iacobus Simancha Epiſcopus Pacenſis de Catholica inſtitutione c. 46. vbi ait, n. 52. *Ad hæreticorum iſtorum (Lutheranorum) pænam & odium etiam pertinere, quod fides illis data ſeruanda non ſit non, obſtante iuramento.* Et ſtatim ait, *cum hæreticis nullum commercium, nec pacem vllam eſſe poſſe: ideoque fidem illis datam, etiam iuramento firmatã, nullo modo ſeruandã eſſe. Sæpe* (addit) *id à nobis dictum, neceſſe eſt tamen inceſſabiliter iterari, & tamdiu non taceri, quandiu pacis illud nomen obtenditur.* Ita Conradus Brunus Ictus & Cãcellarius Othonis Truchſeſij Epiſcopi Auguſtani, eo ipſo

Extat in Tractatuum tomo 11, p. 11. p. 181.

ipſo tempore, quo Tranſactio Paſſauienſis in Imperio ſãcita fuit, lib. 3. de Hæreticis, c. 15. hanc ponit quæſtionem, *An rata ſint & valeant pacta, conuentiones, leges & reſcripta, quibus Hæretici pacem & ſecuritatem impetrant, vt qui eos offenderit, fractæ pacis teneatur? Item, quibus permittitur, vt Eccleſias reformare, Eccleſiarum bona poſſidere, adminiſtrare & diſpenſare poſſint, vtque Eccleſiaſtica iuriſdictio contra ipſos ſuſpendatur?* Et reſpõdet diſerte, ***non valere: cum Hæreticis Catholico nullam pacem eſſe poſſe***; *Et eſſe conditionem iniquam & blaſphemam, qua Hæreticis permittitur, vt dogmata ſua doceant.* Et in fine eiuſdem capitis ſubijcit: *Hodie nulla pax rata eſſe poteſt, qua cum Hæreticis ea lege contrahitur, vt offendi non poſſint: Horrendam & abominandam eſſe pacem ea conditione initam, vt qui eos offenderint, fractæ pacis condemnentur. E contra omnia diuina & humana iura illos extinctos velle.* Ita nuper Martinus Becanus, Theologiæ Doctor & Profeſ-

Extat Tractat. tom. XI. p. 305.

D

ſor Moguntinus, in diſputatione de fide Hæreticis ſeruanda c. 10. p. 88. & ſequẽtibus docet, *libertatem ſiue pactionem illam religionis, qua liberum permittitur eſſe Catholicum vel Lutheranum vel Caluiniſtam, omnino eſſe illicitam, & diuino præcepto repugnantem: nec aliter quam aliquo tempore, maioris damni vitandi cauſa tolerari poſſe*; & p. 94. *Sciant omnes, etiamſi quid ſpeciali reſcripto vel pacto, huiuſmodi hominum genere impetratum ſit, ab non valere*. Ita nuperrime liber de cõpoſitione pacis inter Catholicos, & Auguſtanæ confeſsioni adhærentes, iuſſu & authoritate ſuperiorum editus Dillingæ M. D C. XXIX. & à Doctoribus Facultatis iuridicæ Archiducalis Academiæ Freiburgenſis approbatus, atque edicto illi reſtitutorio 6. Martij 1629. commentarij loco ſuccenturiatus, paſsim ex profeſſo docet, *Tranſactiones eiuſmodi Catholicorum cum Hæreticis & Lutheranis ipſo iure eſſe nullas, illicitas & infelices*: Et huius aſſertionis plures allegat rationes,

Extat edita Moguntiæ 1607. & recuſa 1619.

quarum breuitatis cauſa præcipuas tantum delibabo. Prima eius ratio eſt, quod eiuſmodi Tractatio excedat terminos Iuriſdictionis ſecularis, etiam Imperatoriæ. Sic docet c. v. q. 25. n. 20. p. 114. his verbis: *Neque voluerunt, neque potuerunt Imperatores ſua authoritate decernere, quod beneficia Eccleſiaſtica quædam à Confeſſioniſtis occupata, ijs relinqui debeant: Et* p. 122. *Excedit enim omnem ſecularem, etiam ſupremam Cæſaream poteſtatem, ſi ſtatuatur, vt bona Eccleſiaſtica & beneficia, à legitimis Eccleſiaſticis prælatis & beneficiatis, tranſlata ad perſonas Laicas, incapaces talium, & à fide Catholica alienas, penes eaſdem permanere debeant: Iuriſdictione in bona pariter & perſonas, Epiſcopis & Prælatis reliquis ſecundum exercitium & vſum adempta. &c.* Secunda ratio, quia princeps Catholicus non poteſt ſe promiſsis vllis obligare ad tolerandam Hæreſim, exponitur eiuſdem capitis q. 26. n. 27. p. 133. his verbis: *Per ſe loquendo & ſecluſa neceſſitate illicitum eſt Magiſtratui & in Deum*

iniurioſum, Hæreſim tolerare. Et ſtatim n. 30. *Et ſi quandoque ad aliquod tempus Hæreſim tolerare liceat, non tamen licet ſe promiſſis vel iuramentis obligare ad eandem tolerandam, quia ex l. 5. ff. de pactis, irritum eſt pactum, quo aliquis inuitatur ad delinquendum.* Et n. 31. *Quod ſi aliquando Magiſtratus Catholicus, in extremo neceſſitatis caſu prudenter ſe obliget ad ſubditos Hæreticos certo tempore tolerandos, tamen vt in perpetuum talis promiſſio fiat, vix vnquam licitum eſſe poteſt.* Ratio ibidem ſubijcitur diſerta: *quia Hæreſim in regione ſua permittere vel promittere magiſtratus non poteſt, niſi ob grauius Reipublicæ malum declinandum. Atqui nullum grauius atque pernicioſius Reipublicæ malum eſſe poteſt, quam ſi hæreſis ita introducta ſit, vt nullo vnquam tempore eam prohibere ac tollere liceat.* Tertia ratio inducitur ibidem. q. 28. n. 47. *quia nimirum ſummi Pontificis authoritas & approbatio interuenire debet, vt fœdus cum hæreticis de toleranda eorum religione licitè ineatur.*

ineatur. Cum enim tale fœdus cedat in Eccleſiæ detrimentum, & indirectè verſetur circa materiam ſpiritualem, videlicet circa permiſſionem religionis falſæ, ideo nihil hic decerni debet inconſulto Pōtifice. Iam vero & Tractatus Paſſauiēſis,& pacificatio Pragenſis nunquam à ſummo Pontifice approbati fuerunt. Ergo ex ſenſu Doctorum Auſtriacorum nullius ſunt valoris vel momenti. Quod eò magis animaduertendum, quia pacificatio Pragenſis in præcipuis ſui partibus fundata eſt ſuper Tranſactione Paſſauienſi. Sic enim in frontiſpicio diſerte ait articulus I. *Quantum ad bona Eccleſiaſtica mediate à S. Imperio dependentia attinet, Conſtitutio Tractatus Paſſauienſis ſarta tecta maneat.* Sed ex doctrina eorundem Doctorum, in Præfatione libri citati, & c. v. q. 25. p. 115. *Pax Religionis cum Lutheranis inita Pataui Noricorum* 1552. *& confirmata Auguſtæ* 1555. *non eſt conuentio, Tranſactio & ſanctio pragmatica & perpetua:*

ſed tantum pactum, conuentio & conſtitutio temporaria: quæ vt Imperatoris authoritate, ex plurium Ordinum Imperij conſenſu introducta & ſtabilita eſt: ita ſimili ſucceſſoris poteſtate, pluribus Imperij principibus ita volentibus & conſentientibus aboleri poteſt. Imo in ſeipſa haud magni eſt valoris: quippe quæ & armis à Carolo V. ſit extorta, & vrgente neceſsitate à Ferdinando I. Lutheranis ſit indulta. Ita enim Compoſitio pacis ſæpius citata c. v. q. 24. p. 109. ait, *Anno 1554. Cum Carolus V. pacificatoriam Tranſactionem cum Confeſſioniſtis inſtitueret, tam perturbatus rerum erat ſtatus in Imperio, vt Cæſar ignoraret, quid conſilij capiendum eſſet: ideoque aduerſitatibus & anguſtijs ſe preſſum fatetur pacem Hæreticis conceſſiſſe: & res deſperatas Catholicorum in Germania diuinæ voluntati commendaſſe, donec tempus & occaſio fortunatior ſe offerret.* Idem iam pridem docuit Ioannes Paulus Vvindeck in deliberatione de Hæreticis extirpan-

dis,impreſſa Coloniæ cum gratia & priuilegio Cæſareæ Majeſtatis,art.3. in reſponſione ad 4. obiect. p. 324. *Quod hac pacis formula Cæſar Proteſtantibus cauit, ſumma neceſſitate adactus fecit: Nam irruente tum in Auſtriam Turca, neceſſe erat omnes vndiquaque vires contrahere.* Præterea etiamſi liberrima fuiſſet pacis iſtius Tranſactio, tamen ex ſententia Doctorum præfatorum, per eam Lutheranis nullum ius in bona Eccleſiaſtica, ſed tantum iuris Epiſcopalis ſuſpenſio conceſſa fuit. Sic diſertè docet liber de compoſitione pacis c. VI. q. 30. n. 4. 5. 6. 7. cum ait, *Tranſactione Paſſauienſi nullum ius vel authoritas conceſſa fuit Hæreticis, detinendi vel vſurpandi bona Eccleſiaſtica, aut confeſſionis Auguſtanæ in Imperio docendæ contra Catholicam veritatem: ſed tantum iuriſdictionis Epiſcopalis & actionum Catholicis competentium ſuſpenſionem impetrarunt.* Et diſertius n. 5. *Catholici bona Eccleſiaſtica & exercitium ſuæ religionis poſſi-*

dent ex iure ſuo proprio & priſtino: Confeſſioniſtæ autem, quibus ius nullum competit, ea ſolum detinendo habent: & præter ius & contra fas fruuntur permiſſione & indulgentia ipſis conceſſa, non ſine Catholicorum præiudicio, & damno. Imo Hæreſeos ſuæ exercitium tantum habent ex priuilegio & iure ſpeciali. Conſtat enim ſpeciali iure, gratia & indulgentia in Imperio ſuſceptam eſſe Confeſſionem Auguſtanam, cum vbique gentium repudietur. Vnde ſtatim n. 7. corollarij loco infert, *Immeritò queri Lutheranos, quod Catholici Auguſtanam confeſſionem appellent meram tolerantiam: cum certum ſit eam aliquoties in Imperio damnatam, nunquam approbatam, ſed tantum toleratam fuiſſe. Nec hac in re iniuriam fieri Lutheranis, quippe qui nullos edere poſſint titulos vel inſtrumenta poſſeſſionis ſeu detentionis ſuæ, quam vim & intruſionem: cum contra Catholici, licet antiquiſſimæ poſſeſſionis præſcriptione tuti ſint, tamen ex ſuperfluo vbique oſtendant titulos ſuos & inſtrumenta*

L. Quod vero C. de legibus. Ius ſpeciale in cõſequentiã non trahendum.

menta

menta. Præterea, etiamſi Tractatus Paſſauienſis indubitatæ eſſet authoritatis, tamen ex opinione Catholicorum, Proteſtãtes modis quamplurimis ſanctionem illam violarunt, & quantum in ſe fuit, omninò abrogarunt: quippe qui non modo poſt illã publicatam A.C. 1552. & 1555. tres Archiepiſcopatus, quatuordecim Epiſcopatus, & pluſquam trecenta beneficia ac Monaſteria (inter quæ ſoli Dominicani dicuntur vltra ſeptuaginta deſiderare) eiectis Catholicis per vim & intruſionem occuparunt, vt particulatim demonſtrat Declaratio pacis Religionis inter Catholicos & Proteſtantes Imperij proceres initę, Monachij, vt videtur, excuſa 1629. in 4. Sed etiam introductis quamplurimis nouis dogmatibus, de vbiquitate corporis Chriſti, de libero arbitrio, de Miſſa ſeu Euchariſtia, Confeſsionem Auguſtanam per formulam Concordiæ, A. 1580. editam, ita alterarunt, vt hodie nulli reperiantur in orbe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Proteſtantes,qui adhuc veræ Confeſsioni Auguſtanæ, prout ab eorum maioribus A. 1530. Carolo V. exhibita fuit, adhæreant. Adde quod multi Proteſtantium etiam relicta doctrina Confeſsionis Auguſtanæ, in plurimis articulis Caluini & Zuinglij dogmata ſunt amplexi. Vnde luce meridiana clarius patet, cum pax Religionis A. 1552. ſaltem indulta ſit veram Confeſsionem Auguſtanam profitentibus: & verò Proteſtantes omnes multis capitibus ab illa receſſerint, eorumque non pauci ad Caluini hæreſim deflexerint: eos ex ſententia Catholicorum, omni gratia & priuilegiis per pacem religionis ſibi indultis iampridem excidiſſe, & vlteriore tolerantia ſe indignos reddidiſſe, vt fuſe ſingula probat liber de Compoſitione pacis c. x. & xı. q. 81. & 82. p. 574. 581. &c. Neque vero Imperatores Auſtriaci vnquam inficias iuerunt, ſui iuris & poteſtatis non eſſe in Religionis negotio aliquid contra ſacro-

rum canonum vel Conciliorum decreta ſtatuere. Ita profectò expreſſe confeſſus eſt Ferdinandus I. Imperator in receſſu comitiorum Auguſtanorum A. C. 1559. 1559.
die 13. Iunij, his verbis, *Excidit omnem ſecularem poteſtatem, etiam ſupremam Maieſtatem Cæſaream, Eccleſiaſtica bona à legitimis Prælatis tranſlata, ad perſonas Laicas & Hæreticas deuolui, & penes eaſdem permanere.* Ita Rudolphus II. cum libertatem Religionis Ordinibus Proteſtantibus Hungariæ & Auſtriæ indulſiſſet, in literis ſuis declaratorijs 6. Auguſti 1606. 1606.
ait, *tam articulos illos, qui ad Religionem & Eccleſiaſticum Ordinem pertinent, quam reliquos ſic intelligendos, quatenus iuramento eius in inauguratione Ordinibus præſtito (de defenſione Religionis Catholicæ & extirpatione Hæreſeos) cõtrarij non ſint.* Et hac de cauſa Carolus V. Imp. reuocationẽ generalẽ edidit omnium eorũ, quę aliquando cõtra conſcientiam Hæreticis indulſiſſe confitetur, datam Bruxellis 19. Sep- 1555.

temb. 1555. hoc eſt paulo poſt cōceſſam à Ferdinando I. Patauij & Auguſtæ pacē Religionis: non alio fine, quam vt vno eodemq; tempore libertatem, quā coactus per fratrem publicarat, volens per ſeipſum annullaret. Quod eo ſanctius hodie fieri arbitrantur, quia poſt publi-
1564. cationem Concilij Tridentini 1564. per Bullam Pij IV. P. M. reuocatoriam omnium indultorum in præiudicium dicti Concilij; *Pacta, conuenta, ſtatuta omnia, in his in quibus decretis Concilij contrariantur, ipſo iure reuocata, caſſata, & annullata, acad ipſius Concilij terminos atque limites redacta ſunt, & eſſe cenſentur.* Et hæc ratio eſt, cur non obſtātibus cautionibus, ſynceratıonibus ac capitulationibus quibuſcunque in cōtrarium factis, Auſtriaci in Palatinatu, Bohemia, Hungaria, Auſtria, &c. ad Religionis reformationem, & Hæreſeos extirpationem, vi aperta ſemper perrexerint, atque etiamnum pergant; quia nimirum omnes eiuſ-
modi

modi pactiones ac capitulationes ipſo iure eſſe nullas & irritas, nulloque pacto vel iuramento confirmari poſſe credũt. Ac ne longius à propoſito abeamus, Ferdinandus II. tunc Archidux Græcenſis, 1599.
nunc Imperator, quamuis in inauguratione ſua A. 1599. Auguſtanæ confeſſionis proceribus & ſubditis trium prouinciarum hæreditariarum Styriæ, Carinthiæ ac Carniolæ, conſcientiæ libertatem plenè promiſiſſet; tamen initio ſtatim regiminis, publico edicto Hæreticos omnes ditionibus ſuis exegit: & in reſolutione ſolemni proceribus trium prouinciarum data Græcij vltimo Aprilis 1599. apertè profeſſus eſt, *Hæreticos iſtos pro exercitio Religionis ſuæ nullum priuilegium in ſacris litteris, vel in iure diuino aut humano allegare poſſe.* Idem, quamuis diplomate ſacro Rudolphi II. A. C. 1609. Ordinibus regni Bohemiæ ſub 1609.
vtraque abundè de libero fidei ſuæ exercitio cautum fuiſſet: tamen quampri-

mum regni illius habenas obtinuit, plura Proteſtantium fana ſolo æquauit, ciueſque in carcerem compegit. Vnde poſtea immanes illæ in Bohemia turbæ.
1621. Mox A. C. 1621. quamuis iam ad imperium euectus, Ordinibus Sileſiæ ſolemni tranſactione promiſiſſet, ſi à partibus Friderici Palatini recederent, ſe omnia illorum iura & priuilegia, tam ſacra quam profana, religioſe conſeruaturum: tamen profligato Palatino, ſtatim contra pactapromiſſa profeſsionis Auguſtanæ exercitium paſsim pro virili abroga-
1619. uit. Sed & A. C. 1619. quamuis in electione ſua Francofurti, ex noua cautione inter reliquos Capitulationis Cæſareæ articulos, Electoribus & Principibus Imperij Proteſtantibus, ſe ſingulari ſacramento, pro defenſione pacis Religioſæ in Germania obſtrinxiſſet, tamen
1629. illo mox rerũ potitus in Imperio, edicto Reſtitutorio, bona omnia Eccleſiaſtica in ditionibus Lutheranorum ſita pro-

ſcripſit, in ijſque exercitium Religionis Auguſtanæ interdixit: quæ res funeſtiſſimo huicce Germaniæ bello anſam præbuit. Quod ſi nunc vrgente rerum neceſsitate, cum potentioribus Proteſtantium pacem annorum quadraginta bello fractus inijt, priſtinum tamen propoſitum, aduerſarios omnes ſub nomine Hæreticorum exſtirpandi, & ſpecie reſtituendorum bonorum Eccleſiaſticorum cunctis viribus exhauriendi, nec aliam quam inter Catholicos pacem in Germania conſeruandi, nondum depoſuit; probè perſuaſus, nullam Catholicis cum Hæreticis pacem firmam eſſe poſſe. Hanc intentionem ſacræ Cæſareæ Maieſtatis palam præ ſe tulit, liber eiuſdem iuſſu compoſitus in Comitijs Ratisbonenſibus, & paulo poſt editus Auguſtæ Vindelicorum 1630. ſub hoc titulo. *Fundamenta pacis in ſacro Romano Imperio, annuente Vrbano VIII. Pont. Max. aſſentiente Ferdinan-*

1635.

1630.

do II. Cæſare Auguſto feliciter iacta. Hoc eſt, Catholica Eccleſiæ Romanæ fides & Religio, erotematis quibuſdam explicata: quaſi dicat, nullam in Germania firmam pacem ſperari poſſe, niſi religione & bonis Catholicorum in integrum reſtitutis. Quod ſi quandoque ad euitandum maius malum, pax Hæreticis conceſſa fuit ab Auſtriacis, factum id ad tempus, vt mox oblata meliore occaſione tota belli moles in eos conuerteretur. Ita clarè pridem confeſſus eſt Ioannes Paulus Vvindeck, in Conſultatione ſupra citata, p.
1619. 414. his verbis: *Quod nonnunquam Catholici cum Sectariis tranſegerunt, eo fine fecerunt, vt interea reliquis negotiis expeditis, poſtea vnum hoc bellum contra ſectarios adminiſtrarent, omnemque eius molem in ipſos conuerterent.* Ita enim *Chriſtiana diſſimulatione vtendum* docet Petrus Ribade-
1619. neira de principe lib. 1. c. 26. p. 178. *ſi magna pericula timeantur:* & Becanus in diſputatione de fide Hæreticis ſeruanda

c. 10. p. 89. ait, *Si Lutherana religio commode impediri & profligari non poſſit, niſi cum maiori damno Reipublicæ, tunc aliquo tempore tolerari poteſt, donec nimirum ſors & occaſio fortunatior ſe offerat*, vt docet Compoſitio pacis n. 109. Et hanc pacis ad tempus ineundæ rationem in Tranſactione Pragenſi obſeruatam, res ipſa loquitur. Ea enim, etſi prima fronte Auſtriacis videatur ignominioſior & iniquior, quippe qua non modo ſacrum illud Imperatoris Edictum de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum 6. Martij 1629. contra Lutheranos publicatum, prorſus abrogatur: ſed etiam pleraque Proteſtantium grauamina in Comitijs Ratisbonenſibus 1630. & Conuentu Lipſienſi propoſita, ex ipſorum libitu emendantur: tamen occultè Imperatorem omnibus ſuis hoſtibus ſuperiorem, imo ſolũ in imperio Dominum & Magiſtrum facit; dum inter alia ei tribuit ius hæreditarium in regna Bohe- 1630. 1631.

H

miæ & Hungariæ : diſpoſitionem liberam Collegij Electoralis & Cameræ Imperialis: Imperium abſolutum in omnes legiones Germaniæ, & denique cognitionem plenariam litium & controuerſiarum omnium, quæ in poſterum de Religionis pacificationiſque iſtius negotio valeant emergere. Ita quod ſiniſtra conceſsiſſe viſus eſt, ſtatim manu dextera præripuit : & dum pacem aliquot luſtrorum Lutheranis promittit, omnes totius Imperij vires ſibi aſciuit, ijſdem ad primam occaſionem contra eoſdem, vt hactenus, pro libitu vſurus.

II. Nullitas ex parte Ducis Saxoniæ. 1. quia hoc pacto Proteſtãtium vires peſſumdantur.

Iccircò etiam excluſis ab Amneſtia Principibus minorum gentium, cum capite Proteſtantium potentiſsimo fœdus ſanxit, quo non modo pleroſque procerum ſuis partibus iunxit, ſed etiam quod potiſsimum fuerat, validiſsimos hoſtium diſiunxit & ſeparauit; certiſsima vires aduerſariorum eludendi techna, ſi quos congregatos ferre non poterat, de-

ſtrueret diductos. Vires vnitas præſtare diuiſis, & commune periculum concordia propulſandum, ratio dictauit omnibus, Proteſtantibus firmauit experientia. Imperator hactenus coniunctis ipſorum armis inferior, remedium certius nō reperit, quam eorundem diuortium: & dum mutuis cædibus mactat aduerſarios, iam diſcęſsionibus & diſcordiis Lutheranorum potentior, vitia hoſtium in ſpem victorię vertit. Antiqua hæc eſt familiæ Auſtriacæ ſolertia, iam pridem Carolo I. & Ferdinando I. feliciter obſeruata. Teſtis huius rei domeſticus eſt Ioannes Paulus Vvindek in deliberatione de Hæreticis extirpandis p. 412. & ſequentibus, cuius verba principibus Germaniæ debent eſſe decretoria, cū ait; *Ad Sectarios profligandos I. Catholicorum principum Liga, & conſociatio requiritur. II. Dein nec negligenda eſt occaſio, quando videlicet Proteſtantes pecunijs exhauſti ſunt. III. Vtque facilius Catholici ſectarios op-*

primere poſſint, variis obductis cauſis & artibus alios ab aliis diuellant. Idque à Carolo V. obſeruatum, magno ſuo emolumento. IV Sed & externa auxilia Catholici ſibi adiungant ad ſubiugandos ſectarios. E contra ne hi exterorum ſuppetias ſibi adſciſcãt, omnibus modis cauebunt. Omnia hæc in pacificatione Pragenſi ad amuſsim fuerunt obſeruata, cum per eam ſublata nomine tenus Liga Catholicorum, ſub titulo Imperij inſtituta fuit conſociatio plerorumque principum cum Auſtriacis: mox Proteſtantium fortiſsimi, Palatini, Heſsi, Vvirtembergici &c. à reliquis ſunt diuulſi: Et ne poſt hac ſuppetias exterorum pro defenſione cauſæ ſuæ adſciſcerent, pacis prætextu Francis & Suecis bellum denunciatum fuit; calamitoſiſsima Saxonis deluſione, qui dum priuatam potius pacem quam publicam quærit, dum vnius ambit amicitiam neglecta omnium, dum Martem hactenus aduerſum fugiens, bellum ad

exteros

exteros & amicos transferre nititur, ipſe incautus, quod de Maſsilia olim vſurpauit Hiſtoricus, belli metu in bellum incidit. Bellum eo iniquius, quod contra fratres, contra ſocios, contra eiuſdem fidei credulitatiſque conſortes ſuſceptum eſt ab eo, qui nihil in illos habebat iuris vel imperij. Qua enim quæſo authoritate Illuſtriſsimus Dux Saxoniæ, qui in hoc negotio nec Vicarius eſt Imperij, nec Proteſtantium procurator, nec exterorum arbiter, de controuerſijs totius Imperij ſolus conatur decidere? qua poteſtate ſtatuta olim in publicis comitijs de pace profana & religioſa, in ſeceſſu priuato mutare vel abrogare tentat? quo iure libertatem religionis Proteſtantibus omnibus in perpetuum conceſſam, ad ſpatium XL. annorum limitare poteſt? Cur de diſpoſitione Collegij Electoralis, de reformatione Cameræ Imperialis, de militia & contributionibus cunctorum Imperij Ordinum, contra ple-

Florus Hiſtor. li. IV. c. 3.

roſque, inuitis omnibus, vnus paciſcitur? Qua licentia ciuitates, prouincias, principatus, nec ſibi nec alijs ſubditos, transferre, & priuato Imperatoris arbitrio permittere audet? Eiuſne muneris eſt Bohemiam, Sileſiam, Morauiam, Auſtriacis; Luſatiam ſibi reddere hæreditariam? Palatinatum, Ducatumque Virtembergenſem ſuis Dominis, & Philippiburgum ſuo Epiſcopo ſacrum ſubtrahere? & denique pro recuperanda Lotharingia, omnes Germaniæ vires in Frācos armare? Quaſi verò ei ius vllum eſſet in exteros, aut ipſe circumſcriptus ijs leges poſſet præſcribere, in quos vt pote pares & maiores non habet imperium. Pigeat potius incautum, quod obtentu pacis omnes priores Auſtriacorum iniurias & vſurpationes approbauit; & quæ ipſi bello penè vicennali orbi perſuadere non valuerant, ipſe conniuentia tractatus quadrimeſtris ſtabiliuit. Scilicet vt ante geſta Imperatoris aliquem habe-

rent iuris titulum, pacificatione triumuirali confirmanda: vtque acta præter fas & ius æquitatis ſpeciem obtinerent, conſpiratione publica ſancienda fuerant. Qua tamen in re nec Imperatori quicquam authoritatis, nec Duci Saxoniæ vel minimum acceſsit vtilitatis. Nec enim ex Tranſactione Pragenſi vel dignitas eius adaucta, vel ditio honeſtè amplificata, vel religio, cuius ſe principem fert & defenſorem, vllibi propagata, necdum firmiter ſtabilita fuit. Sed è contrario ipſe ex principe libero & toties hoſtium triumphatore, familiæ Auſtriacæ commiſſarius factus eſt: ditiones eius Bauaris ac Pannonibus propugnaculo ceſſerunt: profeſsio Confeſsionis Auguſtanæ, ſub tam nobili defenſore, ex pleriſque ijſque optimis Imperij prouincijs eliminata, & intra Saxoniæ Oceanique terminos ablegata fuit. Ipſe omnium miſerrimus, qui prius ex victorijs ſudoribuſque Suecorum vitam, ac di-

L. 54. D. de regulis iuris. Nemo plus iuris ad aliũ transferre poteſt, quam ipſe haberet.

Digitized by Google

gnitatis regioniſque ſuæ incolumitatem trahebat,poſtquam ſoluendo impar decoquere maluit,quam debere, hodie totam belli calamitoſiſsimi molem ſolus ſuſtinet,non modo præcipua ditionum parte excluſus, ſed vitæ etiam ſalutiſque anceps & incertus.Nimirum ex æquiſsima talionis lege,quod ex culpa ſua damnum ſentit, ſibi imputare debet: & qui infeſta Suecorum arma prouocauerat; ijſdem penè confectus labaſcit. Cæterum coniurationi nefariæ libertas Germaniæ, & ſpecioſi pacis tituli prætexuntur? Sed apud perfidos & periuros tranſlatitium eſt, prætextu confœderationis fouere bellum: nec quiſquam alienum ſeruitium,aut dominationem propriam ſibi concupiuit, vt non eadem iſta nomina vſurparet. Quid enim, ſi Dux Saxoniæ veram pacem in Imperio, ſi plenam tranquillitatem in patria ſtabilire voluit, cur tot principes,tot ordines ſuarum partium, vnius eiuſdemque cauſæ

&

& rebellionis complices, ab Amneſtia turpiter excludi paſſus eſt? Si cum libertate Maieſtatem dignitatemque ſacri Imperij Romani priſtino nitori ac glo-riæ reſtituere voluit, cur tot regna Regeſque, tam intra quam extra Imperium, libertatem Germanicam viriliter propugnantes, tam propudioſè à iure communis pacificationis reiecit, & inſtar ſeruorum vel mediaſtinorum, ſine vlla vel minimi honoris mentione extra Germaniæ fines ablegauit? Si tranſactione ſacroſancta efficere conatus eſt, vt reintegrata, & refloreſcente paſsim iuſtitia, omnes Imperij ordines & ciues æquali iure & communi quiete fruerentur, cur negotia Cameræ Imperialis & Conſiſtorij ſacri, ex quibus tamen omnes turbæ & diſcordiæ hactenus emanauerant, indeciſa, & mero Imperatoris arbitrio decidenda reliquit? Si pacem religionis, licentiam docendæ paſsim confeſsionis Auguſtanæ, & tot animarum ſalutem

Digitized by Google

(vt refert) tractatione iſta redimere voluit; cur tot hominum millibus in Bohemia, Sileſia, Auſtria, Palatinatu, & Epiſcopatibus Halberſtatenſi, ac Auguſtano, liberum fidei ſuæ exercitium interdici, & tot Miniſtros ciueſque credulitatis ſuæ cauſa exules, laribus patrijs in perpetuum arceri permiſit? Si pacem honeſtam, ſolemnem, publicam, ſibique ac confœderatis omnibus vtilem & glorioſam, ſancire propoſuit, cur ab ingratitudine omnium vitiorum deterrimo exorſus, arma periura vertit in ſocios, à quibus ſemel atque iterum certæ perniciei, & iuratæ iampridem ab Auſtriacis ruinæ fuerat ereptus? Quo enim iuris titulo excuſari, qua æquitatis ſpecie palliari poteſt, tam deteſtanda perfidia, tam horrenda proditio, qua eos ipſos, quos euocaueras in ſalutem, ſaluatis tradas ad internecionem: & à quibus vitam & incolumitatem indignus obtinueras, eoſdem indigniſsime proſcriptos, vita &

honore ſpolies:amicoſque tibi reddas infeſtiſsimos, non poſt beneficia tantum, ſed propter beneficia ab eis accepta. Ingratus vulgo ſtatuitur, qui beneficium accepiſſe ſe negat, vel acceptum diſsimulat:ingratior,qui non reddit:ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt. Illi enim ſi non ſoluunt, tamen debent, & ſæpè cum tempore ad referendam gratiam conuertuntur. Hic nunquam fieri gratus poteſt, qui quod accepit, debere, necdum ſoluere recuſat. Sed hæc vt flagitij antiquioris,ſic notæ & infamiæ ſunt leuioris. Noua hic prodit ingratitudinis ſpecies, Superis horrenda, poſteris ſtupenda, Adraſtiæ vindicanda; quæ non modo beneficium acceptum non agnoſcit, non reddit, non recolit; ſed pro benefactis damna,pro meritis iniurias, pro gratia retribuit exitium. Sereniſsimus Rex Suecorum, Gotthorum, Vandalorum, Auguſtæ ſemper ac triumphatricis memoriæ, iniurias priuatas contra Au-

Seneca de beneficiis lib. 3. c. 1.

1630.

Digitized by Google

ſtriacos bello peculiari proſequebatur. Elector Saxoniæ, tunc Proteſtantium incentor & conductor, nunc deſertor & proditor, quamuis communem hoſtem timeret, mutuam tamen armorum iunctionem renuit, & cunctatione infelici Magdeburgum excindi paſ-
1631. ſus eſt. Mox totis Auſtriacorum viribus expugnatus, cum iam penè Dreſdæ incluſus, hoſtibus ſe longè videret inferiorem, proprio periculo cautior quam
Tranſactio Torgauienſis 1. Septembris. 1631. alieno, Tranſactione publica Torgauiæ inita 1. Septembris 1631. Sereniſsimi Regis Sueciæ ſuppetias euocauit, armorum conſiliorumque ſocietatem inijt, tranſitus & caſtella tranſmittendis copijs Albi impoſita Suecis tradidit, ſtipendia, commeatus, ac frumentationes militi neceſſarias obtulit, *inuiolabili promiſſione ac ſacramento, nunquam ſe ſine ipſorum conſenſu pacem vllam acceptaturum.* Ita iunctis armis præſenti mortis diſcrimini ereptus, Suecorum virtute (ſuorum enim

enim acies iam fatiſcebant) celeberrimam illam victoriam apud Lipſiam, iuriumque ac ditionum ſuarum conſeruationem obtinuit: ſtatimque debitæ gratitudinis ergò, ſupplicationes publicas pro ſalute Regis hoſtium triumphatoris, ſuorum defenſoris, & libertatis Germanicæ vindicis inſtituit: diem ſeptimum Septembris victoriæ ſacrum quotannis in omnibus Euangelicorum templis ſolemniter recolendum ſanxit: & Σωτήρια Proteſtantium à Suecis parta editis voluminibus per totum Imperium celebrauit. Mox, vt molles ſunt in cladibus ferocientium animi, cum Marchio Cadaretius, Hiſpaniæ Regis legatus obtentu veteris amicitiæ inter domum Auſtriacam & Saxonicam, Saxones à Suecis diuellere conaretur, emiſſarijs eius generosè & maſculè reſpondit, *ſe rebus Germaniæ deſperatis & patriæ in agone conſtitutæ, per pacta particularia mederi non poſſe: varia hactenus exempla oſtendiſſe, eiuſ-*

Prælium Lipſiacū 7. Septembr. 1635.

Mercur. Gallobelgicus To. XVIII. li. 4. p. 32.

modi pacta in Imperio non pacem vniuerſalem, ſed maiora potius incommoda effectura: nec ſibi, ſi talia iniret, coram Rege Sueciæ & Ordinibus Proteſtantibus, vllam excuſationis ſpeciem relictam iri. Verum poſt quam Rex Auguſtus prælio Lutzenſi per ipſam etiam mortem de hoſtibus triumphauit, & conflictu Nordlingenſi res Suecorum paulatim inclinare viſæ ſunt, primus Dux Saxoniæ, qui antea omnes ad arma & rebellionem (vt nunc vocat) concitauerat, à fœderatis reſilire: ſtatimque ſecretis emiſſionibus, mox publicis Tranſactionibus, cum hoſte communi paciſci; ſtabilitatem ſuam ruina ſociorum, & pacem domeſticam bello exteris inferendo redimere. Ita Tranſactione Pragēſi circumſcriptus, arma hoſtica ijs denuntiauit, à quibus bis terue præſenti exitio ereptus, qui morte Regis ſui vitam illius tutati fuerant, qui cruore ſuo effuſo, ne Saxonum effunderetur, cauerunt. Perijt, perijt funditus benefi-

Prælium Lutzenſe 11. Nou. 1632.

Conflictus Nordlingenſis 27. Auguſti. 1634.

Tranſactio Pragenſis publicata 30. Maij. 1635.

cium maximum, mortalium ingratiſsimis collatum, qui ſummi meriti loco poſuere, de optimè meritis peſsimè mereri. Officia omnia in ſcelus verſa ſunt, benefacta ceſſerunt in crimina, & ſanguini eorum non parcitur, pro quibus ſanguis fundendus erat. Gladio ac laqueis beneficia compenſantur: defenſorum ſuorum iugulum petere, & victorum colla calcibus elidere, Commiſſariorum Auſtriacorum honor eſt & dignitas. Accepti à Proteſtantibus exercitus in ipſos conuertuntur, & Imperatoria Saxonis concio eſt: *Pugnate contra fratres, contra ſocios, contra Lutheranos, eiuſdem iuris religioniſque conſortes. Templa, aras, penates amicorum armis inceſſite: & perfuſi cruore cognato, patriam ſubrectis rapite, diripite vexillis. Qui vitam nobis ſalutemque contulerunt, aqua & igne interdicantur. Qui libertatem noſtram ſanguine ſuo redemerunt, velut iurati pacis hoſtes, & quietis publicæ perturbatores longè*

Ipſa pene verba sũt proſcriptionis ſãguinariæ, à Duce Saxoniæ cõtra Suecos publicatæ in caſtris Schnakẽburgicis 19. Octob. 1635.

lateque Imperio exterminentur. Quicunque amicum, patronum, vindicem ſuum, pane vel vnda iuuerit, læſæ Maieſtatis reus peragitor. Qui protectorem, ſeruatorem ſuũ occiderit, prodiderit, corruperit, impunitatem & pecuniam, & coronam tantum non ciuicam accipito. Obmuteſcat inter militaria ſigna libertas, & ille victor ſaluatorque gentium populus, remotis procul bellis, omni terrore compreſſo, intra niues & glacies Oceani ſui aquilas noſtras horreat. Iſta ſunt Soſpitatorũ præmia, iſta defenſorum merces, iſtæ gratiæ ac feſta, quibus immane beneficium immanioribus iniurijs compenſatur. Quod ſi tractationes iſtæ Saxonis contra Suecos nullo iuris titulo defendi poſſunt, vt ipſe pridem eſt confeſſus; longè minus negotiationes eius contra Proteſtantes cum Auſtriacis initæ, vllam excuſationis ſpeciem queunt obtinere. Quid enim? Cum Ferdinandus II. Imperator, fatale illud edictum de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum

6. Martij

6. Martij 1629. publicaſſet, & contra tot Ordinum ſupplicationes, prouocationes, proteſtationes acerbè exequeretur: Dux Saxoniæ vtpote Proteſtantium princeps, Status vniuerſos fidei Lutheranæ addictos, ad Conuentum Lipſienſem euocauit, iiſque oppreſſam libertatem Germaniæ, & principes Imperij iuribus & dignitatibus ſuis ſpoliatos demonſtrauit; quin etiam ad colligendum per ſingulos diſtrictus militem, armandoſque agricolas incitauit. Mox proprio exemplo cæteris prȩiturus, exercitum xx. millium conſcripſit: ſuoque ac Proteſtantium nomine Imperatori ſignificauit, ni grauamina, exactiones, oppreſsioneſque ab ipſius Commiſſarijs & militibus illatæ, confeſtim tollerentur, ſe cum ſocijs iniurias tam atroces, tam continuas, armata manu propulſaturum. Ita compulſis ad rebellionem Proteſtantibus, cum Tillius ditiones eius odijs hoſtilibus inuaderet, arma Imperatori ac

Cõuentus Lipſienſis finitus mẽ ſe Martio. 1633.

M

Ligiſticis intulit, & Suecorum virtute vtrorumque exercitum nobili ad Lip-
1631. 33. 34. ſiam victoria fudit: Statimque bellum commune per Imperium circumferens, regnum Bohemiæ, maiorem Sileſiæ partem, & totam Luſatiam occupauit. Sed
5. Aprilis 1634. & ordines Sileſiæ neutrarum hactenus partium, perſuaſionibus miniſque, tur-
Menſibus Februar. & Iulio 1633. bis publicis implicuit; & in Conuentu Hailbronnenſi & Francofurtenſi, Proteſtantes omnes ad firmam concordiam, & continuationem belli ſocialis adhortatus eſt. Nihilominus poſtquam clade
1534. Nordlingenſi vires Proteſtantium paulatim acciſæ, & Auſtriacorum ſenſim auctæ, aleam Martis reddidere ancipitem; ipſe quaſi cum fortuna ſociorum fidem exuens, oblatis, quæ toties reſpuerat, pactis particularibus, cum Imperatore in gratiam rediјt, confœderatorum diſpendio ſalutis ſuæ compendium fecit, & vt ſolus veniam & indulgentiam mereretur, pleroſque Vnitorum à venia

& Amneſtia excluſit. Ita vt ſe periculis incertis eximeret, fœderatos certo exitio inuoluit, vtque à ſe rebellionis & læſæ Maieſtatis pœnas auerteret, ſocios & amicos hoſtiũ arbitrio puniendos tradidit: eo iniquiore proditione, quod arma hoſtica vertit in eos, quos ipſe ad capienda contra hoſtes arma incitauerat, & tantum non coëgerat. Quo ergo iure crimen commune condonari poteſt authoribus, vt vindicetur in adiutoribus? qua æquitate rebellio publica laudatur in incentoribus, vt puniatur in auxiliatoribus? Cur Proteſtantes omnes, vnius eiuſdemque ſceleris complices, non ijſdem præmijs compenſantur, vel ijſdem ſupplicijs caſtigantur? Cur idem flagitium alios nouis honoribus & dignitatibus euehit, alios dignitatibus auitis, & laribus patrijs exuit? Cur perduellionis caput elogijs, & tantum non laureis præcingitur? membra verò, quæ illi, & æquitate cauſæ & robore armorum ſe ſe

Dat veniam coruis vexat cenſura columbas.

Digitized by Google

iactanti infeliciter acceſſerunt, velut artus putridi à corpore præſcindũtur? Caueant, caueant profecto amici tam deſultorij, ne quas in ſocijs pœnas approbauerunt, mox ſuo ordine in ſeipſis experiantur: & quæ in fœderatis flagitia vindicari patiũtur, ipſi ſuccedente tempore proprijs incommodis luant. Neque enim, ſi aliquibus Proteſtantium æqualis venia indulta, & communis ex Tranſactione Pragenſi libertas conceſſa videtur, ſtatim ij almæ pacis compotes, plena tranquillitate & ditionum ſuarum quiete gaudent: Quin imò blandimenta iſta pacis incitamenta belli ſunt immanioris; ſolatium veniæ ſacramentum eſt militiæ; nec quiſquam pacificatione iſta vti frui poteſt, niſi eo ipſo momento arma cruenta, non dicam exteris tantum, ſed ſocijs & patronis inferat. Vt bellum è patria extirpetur, ſub nouis legibus militia initur: vt pax in Imperio reſtituatur, bellum internecinum pleriſ-

que

que Imperij Ordinibus denunciatur:eo deteriore omnium Principum conditione,quod non vt Ordines & Status liberi, bellum pro Republica,pro libertate patriæ, pro aris & focis,ſuo vt pridem arbitrio, contra hoſtes communes adminiſtrant: ſed potius, vt ſerui conductitij, & mancipia cædibus deſtinata, arma ſocijs, ciuibus, defenſoribus inferre; contributionibus extra ordinem vires ſuas exhaurire, & dominationi alienæ proprium ſanguinem commodare coguntur;ſupplicijs rigidiſsimis in eos conſtitutis,qui vel in complendis ſtipendijs, vel ſuppeditandis commeatibus,vel denique deglubendis & diuexandis ſubditis, etiam infra facultates fuerint negligentiores. Ita nequaquam extinctum bellum, ſublatæ exactiones, prohibitæ populationes: ſed è contrario bellum ex particulari factum eſt generale; contributiones extra ordinem fiunt ordinariæ, & regionum ciuitatumque diuexationes

iuſtitiæ militaris titulo peraguntur, &, vt cuncta ſemper vertunt in deterius, rigidius in poſterum peragentur. Res modò ante geſtas interrogemus, & vt futura cognoſcamus, percurramus præterita: & quæ certiſsima coniectatio eſt, colligamus gerenda geſtis. Si enim Imperator in regionibus ſuis hæreditarijs ciues ſingulos xx. vel xxx. militibus per diem alendis exhauſit: ſi ſubditos ſuos ad ſubleuandam militiam ære quotidiano taxauit: ſi Pannonibus ſuis, præter ſtipendia, tributa, vectigalia antiqua, noua continuè onera imponit: quid de Proteſtantibus futurum ſperamus, qui nuper hoſtes, modò amici, neceſsitate potius quam voluntate, pacem aduerſarijs tutam, ſibi turpem ſunt amplexi. Profectò quamdiu difficilis erit res frumentaria, (erit autem ſemper, dum exercitus octuaginta legionum, qualem nūquam tota Europa contra Turcas inſtruxit, per Germaniam cirumagetur) ſummi

infimi direptionibus immenſis peſſumdabuntur : milites ad arma , ſeruos & equos ad impedimẽta ſuis pecunijs emptos, ſuis ſumptibus alere cogentur : & poſt infinita beneficia, ipſorum tandem militum rapinis, cædibus, incendijs exhaurientur. Liberæ Imperij ciuitates, quod iam ſemel atque iterum factum, exercitus famelicos , legiones egeſtate accisas, & diſperſos manipulos ſuſtentare, reſarcire, & tantum non denouo armare compellẽtur. Vtque à rigidiſsimis exactionibus ſeſe defendant , tranſibit in vota paupertas : & vt poſsint effugere carnificem, optabunt ſubire ſectorem. Fruſtraque iura & immunitates ſuas allegantes coram exercitu rerum potente, audient inſolentiſsimum illud Pompeij ad Mamertinos ſimili excuſatione vſos; *Non ceſſabitis nobis gladio accinctis, leges & priuilegia prædicare?* Enimuero furente Marte ſilent iura: neceſsitas perpetuum potentiæ enormioris eſt patrocinium: *Plutarchus in Pompeio.*

Digitized by Google

nec alio, quam indigentiæ communis titulo, populationes militares exercentur. Violentia quicquid coëgit, defendit, & prætextu neceſsitatis, ex illicitis & turpibus licita facit & honeſta. Sed quod miſerrimum eſt omnium, infelicisſimi hominum de calamitatibus ſuis conqueri non audebunt, miſeri vetabuntur agere miſeros, oppreſsi cogentur mentiri beatos: & cum in ſecreto domus coniugibus, & liberis crediderint furtiuum dolorem, procedent in publicum non ſuæ fortunæ vultu. Crimen erit triſtitiam habitu præferre, pectus debitis laxaſſe ſuſpirijs, & malle magis miſerum videri, quam eſſe. Beneficium cenſebitur, quos ad paupertatem redegeris, ijs vitam conceſsiſſe: cui fratrem vel coniugem occideris, filium reliquiſſe: quos ſemiſſe bonorum ſpoliaueris, ijs trientem indulſiſſe: nec flere licebit amiſſa pleraque, ne auferãtur omnia. Vbi enim ſuperiorum æquitatem implorabũt miſeri?

Digitized by Google

ſeri?vbi de iniurijs illatis conquerentur? quo iure bona ablata vindicabunt?Cum perturbata Republica, ſolus Imperator Principes reliquos metu perculſos, parere ambitioni ſuæ coget; cum neglectis Cameræ iudicijs, omnes leges in eius ſolius libidine erunt; cum denique ſublata Ordinum æqualitate, erepta Germanorum libertate, afflictorum omnium vitæ neciſque poteſtas penes ipſum vnum erit. Exemplo ſit florentiſsimum quondam Bohemiæ regnum, hodie publicum miſeriarum orbis theatrum: cuius Ordines, cum inter alia iura libertatem eligendi Regis ſibi vindicaſſent, & contra Ferdinandum II. verbis factiſque propugnaſſent, ille mox armis ſuperior, ex actore factus iudex, litē domeſticam priuato arbitrio decidit, omneſque ſibi ſucceſsionis hæreditariæ controuerſiam mouētes, diris ſupplicijs enecauit. Moxque vt factum ſpeciale communi iure ſanciret, non virtutibus partum, ſed ſuc-

III. Regnum Bohemiæ non hæreditarium.

ceſsione debitum ſibi regnum publica-
uit; cum tamen omnium ſeculorum
conſuetudines, plerorumque Imperato-
rum & Pontificum reſcripta, & ſingulo-
rum Regum inaugurationes, libera ha-
Ioan. Dubrauius Epiſc. Olomucēſis. Wenceſlaus Hagecius. Coſmas & Pulcaua in Hiſtoriis Bohemiæ. ctenus fuiſſe Bohemorum in eligendis
Principibus ſuffragia, demonſtrent.
Namque ne longius euagemur, cum
Primislaus, anno 1197. Moguntiæ à Phi-
lippo Imperatore Rex Bohemiæ coro-
natus eſſet, Fridericus II. Imperator tri-
1197. 1212. plici diplomate annorum 1212. 1216. &
1231. Electionem iſtam confirmauit, &
quo iure in poſterum Reges Bohemiæ
Regnum obtinerent, reſcripto ſacro
expreſsit his verbis, *Volentes vt quicunque
à Bohemis in Regem electus fuerit, ad nos &
ſucceſſores noſtros accedat, regalia debito
modo accepturus.* Et iſtud liberæ electio-
nis ſuffragium Carolus IV. Imp. in Co-
1356. mitijs Imperij A. 1256. Norimbergæ ha-
bitis tam apertè confirmauit, vt cum
publicata Bulla aurea, capite eius VII.

Electoratus ſæculares omnes per ſucceſsionem legitimam ad hæredes deuolui ſtatuiſſet, diſertè tamen regnum Bohemiæ, vt Electoratum electiuum exceperit, his verbis; *Saluis ſemper priuilegiis, iuribus, & conſuetudinibus regni noſtri Bohemiæ, ſuper electione Regis in caſu vacationis per regnicolas, qui ius habent eligendi Regem Bohemiæ, facienda: iuxta continentiam eorundem priuilegiorum, & obſeruatam conſuetudinem diuturnam, quæ decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus, in omni ſuo tenore & forma, indubiam tenere roboris firmitatem.* Neque publicæ huic Comitiorum conſtitutioni priuata eiuſdem Caroli IV. Declaratio, in fauorem familiæ Lutzelburgicæ facta, opponi debet; tum quia præter Ordinum Bohemicorum conſenſum facta eſt A. 1348. 1348.
à Carolo nondum Cæſare, & non tam Reipublicæ, quam charitatibus domeſticis proſpiciente: tum quia Reges omnes poſteriores cuiuſcunque familię, per

datas ex more Bohemis vſitato literas reuerſales, ſolemniter profeſsi ſunt, Ordinum ſe decreto ac electione libera, ad dignitatem Regiam perueniſſe. Ipſe Ferdinandus I. quamuis Ladiſlai prædeceſſoris gener, & Ludouici deceſſoris ſororius eſſet, & publica diſpoſitione ſoceri ſui de hæreditaria Annæ vxoris ſuc-
1510. ceſsione 1510. niteretur; tamē in recognitione ſolemni coram Ordinibus facta
1526. 1526. libere proteſtatus eſt, *quod Barones, Nobiles, ciuitates, & tota communitas regni Bohemiæ, ex ſua libera & bona voluntate, juxta libertates illius regni, elegerint ſe in Regem Bohemiæ, non ex aliquo debito, &c.* Et licet poſtea Hiſpanorum conſi-
1545. lijs inductus A. 1545. Recognitionem illam erroris titulo ſubuertere tentauerit: tamen mox experientia doctus, genti libertatis amantiſsimæ melius dari Reges quam naſci, indictis Pragæ Comitijs
1549. 1549. ab Ordinibus clementiſsime poſtulauit, & liberrime obtinuit, vt Maximilianus

milianus filius eius primogenitus ab ijs Rex deſignaretur. Viciſsim & Maximilianus 1575. multis precibus & prenſationibus à Statibus regni impetrauit, vt Rodolphus filiorum maximus natu, certis tantum conditionibus in regno Bohemiæ ſibi ſuccederet. Et hic ipſe per tranſactionem Pragenſem 1608. in Comitijs ſancitam, Matthiæ I. fratri regnum ceſsit ea lege, vt Ordines Bohemiæ, & prouinciarum vnitarum reſignationem iſtã approbarent. Quin ipſe etiam Ferdinandus II. 1617. in Conuentu Pragenſi à Matthia Imp. proceribus regni commendatus, eorumque conſenſu Bohemiæ Rex coronatus, datis ex more literis Reuerſalibus electionem gratuitam ampliter commendauit. Quid porrò petere opus fuerat, ſi iure natiuitatis debebatur regnum? quæ ratio eſt, prẽſationibus & ambitu ea demereri, quæ ipſa lex naſcendi, & legitimæ ſucceſsionis titulus ſponte tribuit? Præterea cur ex ipſis

1575.

1608.

1617.

Regum liberis nemo hactenus inuentus eſt, qui more in hæreditarijs prouincijs frequentato, Bohemiæ ſe Principem vel vocaret ipſe, vel vocari à patre ſuſtineret? Cur vacantibus ſæpius regni habenis, tot Principes externi, expeditis ad Bohemos legationibus, orãdo, prenſendo, pollicendo, largiendo, haberi ſui ſuorumque in electione rationem petierũt? vt ex hiſtorijs conſtat feciſſe Albertum Imperatorem pro filio Friderico 1307. Henricum VII. Imp. pro fratre Vvalramo, 1310. Sigiſmundum IV. Imp. pro Alberto genero 1437. vt quam plures alios omittam; qui, ſi ſucceſsione Bohemis Reges oriri crediddiſſent, neutiquam in tanta ſanguinis regalis abundantia, in totius orbis conſpectu, præter fas & æquum alienæ hęreditati inſidiaturi fuiſſent. Cur liberrimis Ordinum ſuffragijs ſceptrũ ſæpius in alias familias fuit tranſlatum, quamuis ex priori familia hæredes multi eſſent ſuperſtites; prout fa-

ctum eſt, tum A. C. 1306. cum occiſo Vvenceſlao III. & reiecto competitore Henrico Duce Carinthiæ occiſi genero, electus fuit Rodolphus I. Alberti Imperatoris filius, tametſi Suihouij Haſemburgijque Barones, rectis natalibus ex maribus deſcendentes, præſto eſſent: tum anno 1458. cum defuncto Ladiſlao Georgius Podiebradius, nulla affinitate domum Auſtriacam vel Lucelburgicam attingens, liberè ab Ordinibus electus, Bulliſque Papalibus Pij II. & reſcripto Sigiſmundi Imperatoris 1459. confirmatus fuit, quamuis Caſimirus Rex Poloniæ, & Guilelmus Princeps Saxoniç, quorum ille minorem, iſte maiorem Ladiſlai ſororem ſibi deſponderat, immani ſollicitatione regnum ambirent. Cur neglectis ſæpenumero fratribus vel filijs natu maioribus Principes minorennes regnum pacatum obtinuerunt? vt cum A. C. 1324. eiecto Henrico Duce Carinthiæ, qui Annam Vvenceſlai VI. fi-

1459.
1324.

liam maiorem ſibi deſponderat, Ioannes I. Henrici VII. Imp. filius, & familiæ Lutzelburgenſis author, Elizabethæque filiæ iunioris maritus, ab Ordinibus Rex deſignatus & acceptatus fuit. Iure enim naturæ & legitimo ſuccedendi more, mares fœminis, & ex eodem ſexu maiores natu præferuntur minorennibus. Sed deſino Soli in Meridie lucem affundere, cum Sereniſsimus Imperator non rationibus, ſed armis cauſam hanc decidi voluerit; & etiamnum in recuperatione potius, quã in acceptatione regni pręcipuum poſſeſsionis ſuę hæreditariæ titulum ponat: quippe qui in limine libelli de iure ſuo hæreditario in regno Bohemiæ publicati, diſertè profeſſus ſit, *Quamuis ius ſuum hæreditarium anceps foret, & Bohemi hactenus habuiſſent aliquod ius liberæ electionis: nunc tamen, poſtquam regnum vniuerſum armis ſibi ceſſit, ſeque tanquam legitimum hæredem ex debito, non ex arbitrio ſuſcepit, fruſtra diſputationem*

Ius hereditarium in regno Bohemiæ Ferdinandi II. editum Viennæ. 1620 in 4.

putationem de iure electiuo inſtaurari, cum ipſum regnum ſui iuris factum, iam ius hæreditarium domus Auſtriacæ agnouerit. Ad Sileſiam tranſeo, & vnitas Bohemiæ Prouincias: quæ cum olim iurium libertatiſque defendendæ cauſa regno illi ſe ſe vniuerint, hodie per tranſactionem Pragenſem non modo iuribus & immunitatibus omnibus priuantur, ſed etiam dominationi extraneæ iure hæreditario ſubijciuntur. Cuius articuli iniquitas vt ex origine ipſa reuincatur, animaduertendum erit, quod Sileſiæ prouincia olim Poloniæ ſubiecta, & inter principes ſanguinis Sarmatici peruarios Ducatus diuiſa, mox ſuccedente tempore Sarmatarum faſtum & ſeruitium dedignata, poſtquam fidelem Bohemorũ multis in negotiis operam experta eſt, ex plena ſua voluntate, & liberrimo arbitrio reiecto Polonorũ ſupercilio Anno 1331. Ioannis I. Bohemiæ Regis patrocinium ambijt. Hac de cauſa

IV. Sileſia inſons iuribus ſuis ſpoliata.

Ioach. Cureus in Annal. Sileſiæ. editis. Vvittebergæ. 1571.

1331.

bello grauiſsimo à Polonis impetita, 1337. cum viriliter à Bohemis propugnata fuiſſet, totam ſe in fidem & clientelam Regum Bohemiæ tradidit, ea lege & conditione, vt omnia eius iura, libertates & priuilegia ſarta tecta conſeruarentur. Cuius rei illuſtre inter alia documentum ad noſtra vſque tempora permanſit, quod eius prouinciæ Ordines non prius in Regis electi verba iurant, quam de ratis habendis tuendiſque omnibus eorum legibus, iuribus & honoribus cautione data, literiſque reuerſalibus ſignata, & iuramento ſolemni confirmata, ſe ſe obſtrinxerit. Et iuxta hanc conuentionem Carolus IV. eius nominis Imperator, diplomate ſingulari dato 1355. Pragæ VII. Idus Octobr. 1355. totam illam regionem cum Morauia & Luſatia, ſceptro Bohemiæ in perpetuum vniuit, incorporauit, & indiuiſibiliter coniunxit: quam incorporationem poſteà Principes Imperij in Comitijs No-

Extat vtrumque in Conſtitut. Goldaſti Tomo IV. p. 345.

rimbergæ habitis. 1356. approbarunt, & 1356.
reſcripto Gerlaci Archiepiſcopi Moguntini, & S. R. Imperij Archicancellarij confirmarunt. Atque hoc iure Sileſij ſub Regibus Bohemiæ ita ſemper vixerunt, vt non modo in illorum electione libera ferrent ſuffragia, ſed etiam in inauguratione ampliſsimas referrent literas reuerſales, quas ipſos etiam Reges Auſtriacos liberrime conceſſiſſe conſtat, puta Ferdinandum I. 14. Ian. 1527. Ma- 1527.
ximilianum II. 1557. Rodolphum II. 1577. & 1609. & ipſum denique Ferdinandum II. 1617. Quin etiam ortis in 1617.
Bohemia turbis, cum Sileſij confœderatis Bohemis ſuppetias tuliſſent, iiſque prœlio Pragenſi proſtratis, arma ponere nollent, ipſe Ferdinandus II. tranſactione ſolemni Vratiſlauiæ inita 21. Aprilis 1621. Ordinibus ſancte promiſit, ſi 1621.
electioni Friderici Palatini renunciarēt, omnia ſe ipſorum iura & priuilegia inuiolata conſeruaturum: quod promiſ-

Digitized by Google

ſum iureiurando & diplomate ſacrô firmatum, Dux Saxoniæ tunc Imperatoris Commiſſarius & Ordinum mediator, cautione propria obſeruandum in ſe recepit. Et quamuis Ordines Sileſiæ cōfeſtim à partibus Palatini receſsiſſent,
1628. nihilominus Imperator Ann. 1628. 1629. contra pacta promiſſa, multa ipſorum iura & priuilegia, conniuente Saxone abrogauit. Et ipſe Dux Saxoniæ, cum edicto & iniurijs Cæſaris excitatus, arma
1631. communia Proteſtantium per Imperium concitaſſet, Bohemiæque regnum & metropolim hoſtiliter occupaſſet, principes & Status Sileſiæ neutrarum hactenus partium, non modo literis chirographo ſuo ſignatis 5. Aprilis
1634. 1634. ad defectionem, & priuilegiorum ſuorum manutentionem, vt vocabat, incitauit: Sed etiam miſſo cum ingentibus copijs Arnhemio legato, vrbes Duceſque hactenus cunctantes, partim minis, partim vi aperta ad rebellionem coegit,

coëgit, ciuitateſque & fortalitia præcipua præſidijs Saxonicis firmauit. Nihilominus poſtquam verſis cum fortuna animis, primus à fœdere communi reſilijt, & ſociorum ruina ſtabilitatem ſuam redimere voluit, infelicisſimos Ordines Sileſiæ, qui eius authoritate, cautione, & cauſæ communis æquitate freti, arma primi non ſumpſerant, ſed armis à Saxone ſumptis ſua coniunxerant, ignaros & immerentes turpiter ab Amneſtia excludi paſſus eſt, plenisſimæ Imperatoris libidini puniendos tradidit, eorumque Syndicos & legatos fidem publicam implorantes, reſponſo dato 15. Iunij, frigide ad Imperatorem emendicandæ veniæ gratia ablegauit. Ita præclarisſimè de Sileſia meritus, propriæ rebellionis crimen pœnis ſociorum innocentium expiauit: & non contentus nobilisſimam Germaniæ prouinciam bellis & rapinis exhauſiſſe, inſontes incolas, & non niſi eius inſtinctu ſceleratos, arbitrio ho-

1635. 1635.

ſtium obiecit. Et operæ tam ſtrenuè Imperio nauatæ, proditionis inquam tam egregie patratæ præmium accepit Luſatiam ſuperiorem & inferiorem, quam
1621. olim contra ius & fas à radice Bohema reciſam, Cæſar ei pro ſumptibus belli Bohemici hypothecario contractu oppignorauerat. Qua tamen in collatione æqualis vtrimque apparet iniquitas, tam Cæſaris in profundendo aliena, quam Saxonis in promerendo illicita. Namque vt origines huius quoque prouinciæ paucis repetamus, cum Luſatia Anno
1075. 1075. ab Henrico IV. Imp. Vratiſlao primo Bohemorum Regi in præmium fortitudinis cum diademate collata, mox a
1191. Vvenceſlao Luſco 1191. Otthoni Brandenburgico cum Beatrice filia dotis loco fuiſſet aſsignata, poſt Vvalderami Marchionis mortem, qui abſque liberis
1312. deceſsit 1312. rogatu incolarum à Ioan-
1319. ne I. Rege Bohemiæ 1319. denuò fuit reſtituta, & diplomate Ludouici IV.

Imp. 1328. coronæ inſeparabiliter vnita: 1328.
quam vnionem poſtea Carolus IV. publico edicto in Comitijs Norimbergicis
1356. confirmato, ita ſtabiliuit, vt prouin- 1356.
cia iſta Bohemiæ in perpetuum appropriata, indiuiſibiliter coniuncta, & inſeparabiliter aſcripta, ſine ipſorum Ordinum conſenſu nunquam ad externum transferri poſſit imperium. Itaque ne poſtmodum vllo titulo à regno Bohemiæ alienaretur, Vvenceſlaus VIII. 1411. 1411.
& mox frater eius Sigiſmundus Cæſar 1414. à quatuor prouinciæ Ordinibus rogati, priuilegijs ſingularibus in perpetuum cauerunt. Cuius iuris incolæ ipſi tam fuere tenaces, vt cum Sigiſmundi nepos Ladiſlaus Rex eam Friderico II. Electori Brandenburgico certo pretio vendidiſſet, illo mortuo Georgius ſucceſſor ſubditorum ære & precibus 1470. 1470.
illam regno reſtituerit, ea lege inuiolabili ſancita, ne poſthac vnquam vllo prętextu à viſceribus regni poſset alienari. Et

tamen noſtro ſeculo Ferdinandus II. poſtquam cum iuribus vniuerſam regni
1620. Bohemici harmoniam ſuſtulit, eneruato corpore debilia membra diſcerpſit; legumque & immunitatum totius regni oppreſsionem, diſsipatione prouinciarum eidem antiquitus vnitarũ redemit; & non tam de alieno liberalis, quam de non ſuo prodigus, portionem regni electiui vendidit, vt totum ſibi ſuiſque redderet hæreditarium. Verum quod totius negotij eſt præcipuum, conſpiratione Pragenſi Electorum ſecularium princeps, & primum poſt Cæſarem Imperij membrum, non citatus, non auditus, non cõuictus, iuribus auitis ſpoliatur, ditioneſque eius & dignitates Bauaris & Hiſpanis, pro præſtita Cæſari contra ipſũmet opera diſtribuuntur; idque contra leges fundamentales Bullæ aureæ c. 3. ipſamque Capitulationem Cæſaream Art. 36. iubentem, *vt præcipua Imperij membra, & baſes eius atque columnæ, Electores*

ctores maximè ſeculares, inconcuſſæ maneant. Nec alius proſcriptioni inauditæ titulus aſcribitur, quam belli Bohemici infelicitas: cui cum Fridericus V. Elector, tanquam liti peculiari inter Status Bohemiæ, eorumque Regem Ferdinandum II. ſeſe immiſcuiſſet, ille interim fauente ſorte ad Imperium euectus, ex priuata cauſa ſcelus publicum finxit, & omnes Palatini actiones contra ſe vt Regem Bohemiæ ſuſceptas, ſub crimine læſæ Maieſtatis Imperatoriæ traduxit: cum tamen hic nec in Imperium, nec in Imperatorem quicquã deliquiſſet, imo in comitijs Francofurtenſibus Ferdinandum II. ſuo ſuffragio iuuaſſet, quin 1620. etiam controuerſiam ſceptri Bohemici poſita omni hoſtilitate ordinario iudicio expediri deſideraſſet. Nihilominus Ferdinandus non iure ſed viribus ſuperior, victis ad montem Album Bohemis, non modò Palatinum inauditum, cauſa incognita proſcripſit: ſed etiam diuiſo in-

terBauaros & Hiſpanos Palatinatu, Maximiliano Bauariæ Duci dignitatem Ele-
1619. ctoralem, quam iampridem ante turbas Bohemicas ex fœdere Monacenſi ei promiſerat, priuato arbitrio, inconſultis Imperij Ordinibus conceſsit: illumque ipſum, cuius erat antiquo iure de cauſis Regi vel Imperatori Romanorum motis cognoſcere, domeſtici odij cauſa, iuribus & ditionibus omnibus priuauit. Quaſi vero vllo iure Imperator Auſtriacus poſſet feuda Imperij nobiliſsima, pro priuata libidine transferre, & bene de domo Auſtriaca meritis ex mero arbitrio conferre, quem ex Art. 28. Bullæ aureæ, ne Comitatum quidem aut aliud beneficium ad Imperium deuolutum, ſine Ordinum Imperij conſenſu donare poſſe conſtat. Electoratus, Ducatus, Comitatus feuda ſunt Imperij, non Imperatoris, niſi quatenus Imperij caput eſt, miniſter & Vicarius; iccirco etiam non ſuo, ſed Imperij nomine fidem &

Henricus Stero Altahenſis in Annalibus A. 300. Auentinus lib. VII. Annal. Boior. p. 587.

ſacramentum à Principibus accipit. Et receſſu Comitiorum Auguſtanorum 1555. 1555. ſtatutum fuit, vt controuerſiæ inter Status Imperij de feudis Imperialibus ortæ, non niſi in Conuentu Ordinum deciderentur. Et hac de cauſa Henricus II. Galliarum Rex 1551. per legatum ritè 1551. coram Ordinibus Imperij queſtus eſt, quod Carolus V. inaudita cauſa, & neglecto iure ſuo, Philippo filio Ducatum Mediolanenſem & Vicariatum Senenſem, ſine ipſorum conſenſu & approbatione contuliſſet. Et Rodolphus II. Imp. 1598. Amiralio Hiſpano nomine 1598. Regis ſui Vice-Comitatum Veſontinum expetenti, Heroice reſpondit, *Feuda Imperij ſine Electorum & Ordinum conſenſu nemini auferri, aut in alium tranſferri poſſe.* Scilicet ex antiqua Iurium feudalium conſuetudine, controuerſiæ de feudis in iudicio Parium definiri debent; *& ſi inter Dominum & Vaſallum lis orta ſit de feudo, per pares Curiæ dirimen-*

da eſt. lib. 1. de feud. tit. x. §. 1. *Contentioneſque de beneficijs terminare debent ij, qui ab eodem Domino beneficia tenent.* ibid. lib. 1. tit. xxvi. Et quamuis Imperator iniuriam tam apertam in Comitijs Ra-
1623. tisbonæ habitis ab Ordinibus Imperij approbari petijſſet, Electores tamen Saxoniæ & Brandenburgicus, necnon complures alij Imperij Principes, per legatos ſuos proteſtati exceperunt, *Tranſlationem iſtam dignitatis Electoralis in Ducem Bauariæ contrariam eſſe Conſtitutionibus Bullæ aureæ, legibus Imperij fundamentalibus, declarationi Sigiſmundi IV. Imp. conſuetudinibus iuris feudalis, & denique pactis conuentis inter domum Palatinam & Bauaricam, iam olim prouidentia maiorum ſancitis, & præſcriptione annorum pene trecentorum communitis. Palatinum non citatum, inauditum, indicta cauſa condemnatum eſſe, cum tamen ipſe turbarum Bohemicarum author non fuerit, & iam multi eiuſdem criminis complices ab Imperatore*

ratore veniam meruerint; ideoque ſe præcipitatæ eiuſmodi proſcriptioni & ſpoliationi conſentire non poſſe. Et iccirco etiam, cum Imperator reiectis omnibus hiſce Ordinum exceptionibus, oppoſitionibus, & proteſtationibus, feudum Electoratus Bauariæ Duci contuliſſet, legati Saxones, & Brandenburgici inueſtituræ ceremonijs intereſſe recuſarunt, ne præſentia ſua iniuſtitiam tam enormem approbaſſe viderentur. Et paulò poſt ijdem Electores, datis Annæberga ad Imperatorem literis, de violato iure Collegij Electoralis queſti, omnia à legatis ſuis dicta facta autographo publico confirmarunt. Et quamuis anno ſequenti Dux Saxoniæ, artibus Ludouici Landgrauij Darmſtatenſis inductus, in Conuentu Schleuſingenſi Ducem Bauariæ in Collegium Septemuirale ad tempus recepiſſet, integrato illo Collegio pacem vniuerſalem in Imperio ſtabilitam iri perſuaſus: tamen cooptatione illa certis 1624.

T

conditionibus facta proteſtatus eſt, nihil ſe derogatum velle iuribus familiæ Palatinæ, neq; proteſtationibus à Legatis ſuis Ratisbonæ exhibitis:id quod po-
1617. ſtea in conuentu Mulhuſino, & Comi-
1630. tijs Ratisbonenſibus, nec non in reſcriptis & reſolutionibus ad diuerſos Europæ Principes datis, & in ipſo etiam fœ-
1631. dere Torgauienſi 1631. cum Rege Sueciæ, & Electore Brandenburgico inito, conſtanter ſemper agnouit & aſſeruit; vbique & coram omnibus proteſtatus, nullam pacem in Imperio ſine reſtitutione domus Palatinæ vnquam eſſe ſperandam. Qua igitur conſcientia hodie tranſlationem iſtam iuſtam, ſanctam, & Imperio ſaluberrimam publicare audet, per quam non modo ſublata ſuffragiorum æqualitate inter Septemuiros, Proteſtantes ſemper cauſa caſuros certum eſt: Sed etiam, quam diu gutta ſanguinis Palatini ſupererit, cui dignitas iſta ſi non regia, certe regiæ proxima, contra fas &

æquum tam violenter aufertur, Germaniam perpetuo nouis turbis agitatam iri conſtat. Poſito enim ſed non conceſſo, tam atrocibus criminibus proſcriptionem & patrimonij ſui ſpoliationem meruiſſe Palatinum, quo iure liberi, frater, agnati omnes æque inſontes, innocentes, & licet cauſa diuerſi, eadem nihilominus pœna inuoluuntur: cum tamen & filij ante delictum parentis iure ſucceſsionis dignitatem Electoralem obtinerent; & ex iure communi feudorum conſtet, *culpam vnius ex hæredibus feudi cæteris non præiudicare. lib. 11. de feud. t. 78. & factum fratris fratri in feudo paterno non nocere. tit. 93. Imo ſi vaſſallus culpam adeo enormem commiſerit, vt & ipſe & deſcendentes eius feudo priuari debeant, agnatos tamen in quarto gradu ad beneficij poſſeſſionem eſſe reuocandos, lib. 11. tit.* XXVI. Et ideo prudentiſsime Dux Neoburgicus, propinquiore Palatinos agnatione contingens quam Bauarus, obtentis ab Impe- 1623.

ratore literis Reuerſalibus cauit, ne tranſlatio iſta dignitatis Electoralis in Bauarum facta, iuribus ſuis ſuorumque proximiore gradu fundatis, vnquam & vllatenus poſsit officere. Nec minus iniuriæ tam truculentæ argumentũ patet, quod tranſlato toto Electoratu in Bauarum, ditiones tamen inter Principes diuerſos diuiduntur, & Palatinatus ſuperior Bauaro, inferior Hiſpano pro ſumptibus
1356. belli Germanici aſsignatur: cum tamen ex conſtitutione Aureæ Bullæ c. xxv. *cui titulus*, de integritate principatuum Electorum, *inſignes & magnifici principatus, videlicet regnum Bohemiæ, Comitatus Palatinus Rheni, Ducatus Saxoniæ & Marchionatus Brandenburgenſis, eorumque terræ, diſtrictus, & alia quæuis ad ipſa ſpectantia, ſcindi, diuidi, ſeu quauis conditione dimembrari non poſſint, vel debeant.* Hiſce difficultatibus cauſam Tranſlationis implicatam cernentes Bauari, quæſito ambitioni ſuæ à multis retrò ſeculis prætextu,

textu, vſurpationis nouæ titulos fingunt antiquiſsimos, dignitatemque Electoralem aſſerunt, non tam ſibi à Ferdinando II. ex gratia collatam, quam armis ſuis ex debito recuperatam: quippe quæ A. C. 1354. iniquiſsimè à Carolo IV. familiæ Bauaricæ adempta, & affinitatis gratia in proſapiam Rhenenſem fuerit trāſlata. Ideoque malè Palatinos, optimè Bauaros de alienatione iuris Electoralis cōqueri, & iſtos legitimè actionem de refundendis fructibus à tempore Caroli IV. perceptis inſtituere poſſe. Vt igitur impoſturæ huius impudentia omnibus pateſcat, totius rei negotium ab ipſis incunabilis exponendum erit. Nimirum à prima Electorum inſtitutione ius eligendi Imperatoris penes Comites Palatinos, eoſdem Duces Bauariæ, ſemper fuiſſe, ex priſcis illorum ſæculorum hiſtorijs conſtat. Anno demum 1215. per connubium Otthonis Ducis Bauariæ, cum Agnete filia Henrici vltimi Comi- 1215.

Gevvoldus de S. R. Imperij Septemuiratu c. x.

Fabius Hercynianus Cancellariæ Anhaltinæ P. II. p. 83.

1215.

V

tis Palatini, Palatinatus Rheni cum Du-
catu Bauariæ coaluit, & Ottho ipſe pri-
mus ex familia Boiorum, iure per vxo-
rem deuoluto Elector fuit. Ita vnita cum
ditione dignitas in domo Bauarica per-
1295. manſit vſque ad A. C. 1295, quo defun-
cto Ludouico III. filij eius hoc modo
hæreditatem diuiſerunt, vt Rodolphus
primogenitus Palatinatum cum iure ſuf-
fragij Electoralis, Ludouicus vero iu-
nior Bauariam ſuperiorem, & defuncto
fratre ius electionis tantum ad vitam ob-
1313. *Extat* tineret, prout patet ex tranſactione in-
apud Ge- ter ipſos inita Monachij 1313. Verum Lu-
vvoldũ de *S.R.Imp.* douicus iunior fortunam bellicam ſecu-
Septemui- *ratu. p.* 224 tus, dum arma infert Auſtriacis, 1314. à
1314. potiore Electorum parte Imperator re-
nunciatus eſt, fratre ipſius Rodolpho, vt
& Electoribus Saxone, & Colonienſi
ſuffragia ſua in Fridericum III. Auſtria-
cum conferentibus. Vnde orto in Ger-
mania bello ciuili Ludouicus Bauarus
armis ſuperior, Rodolphum fratrem ho-

ſtibus fauentem ditionibus omnibus exuit,& proſcriptum cum liberis in Angliam ſecedere coëgit, vbi paulo poſt mærore animi extinctus eſt. Mox ta- 1317.
men capto & depoſito Friderico Auſtriaco, Ludouicus IV. nepotum ex fratre commiſeratione motus, Tranſactione Patauina 1329. Rudolpho II. & Ru- 1329.
perto, Rodolphi I. fratris filijs ditiones *Extat imperfecta*
& dignitates paternas reſtituit, ea condi- *apud Gevvoldum*
tione, vt prærogatiua iuris Electorij ce- *p. 218.*
dentes, ſuffragium Septemuirale cum filijs ſuis Ludouico & Stephano partirentur, atque ita vtrique alternatim Regem Romanorum eligerent: quam tranſactionem licet vi extortam, tamen in Comitijs Francofurtenſibus 1339. pu- 1339.
blicari curauit. Verum excommunicato & mortuo Ludouico IV. Imp. cum Carolus IV. Rex Bohemiæ, Rodolphi I. gener, fratrumque Palatinorum ſororius
1342. Imperij habenas ſuſcepiſſet, Ro- 1342.
dolphus II. & Rupertus Palatini apud

Digitized by Google

Cæſarem affinem de vi & iniuria queſti,
& ſolidum electionis ius ſibi tanquam
primogenitis deberi aſſerentes, Tranſa-
ctionem Patauinam de alternatione ſuf-
fragiorum inter ſtirpem Palatinam &
Bauaricam, vt pote iniquiſsimam & vi
extortam abrogari petierunt. Ita cauſæ
iuſtiſsimæ fauens Carolus IV. miſſo in
deliberationem negotio, & præuio om-
nium Electorum & Ordinum conſenſu
1354. 1354. Ruperto I. Palatino (frater enim
Rodolphus ſenior paulo ante 1353. fatis
conceſſerat) ius paternum ſuffragij Ele-
ctoralis in ſolidum reſtituit, & excluſis
Ludouico & Stephano Bauariæ Duci-
bus mandatum de iure & ſucceſsione
Comitum Palatinorum in voce & ele-
1356. ctione Imperatoris Romani, ad omnes
Electores trãſmiſſum publicauit. Quin
& poſt biennium 1356. in Comitijs No-
rimbergæ habitis Diploma publicũ hac
de re à ſingulis Electoribus approbari &
ſubſignari fecit, eo faciliore negotio,
quod

Extat vtrumque Mandatum & Diploma apud Goldaſtum Tom. IV. Conſtit. Imper. p. 345.

quod in iiſdem Comitijs Ludouico Romano Ludouici IV. Imp. filio, Marchionatum Electoratumque Brandenburgenſem compenſationis loco pro iure Electoratus Palatini contulerat. Vnde patet falſiſsimam eſſe calumniam aſſerentium, Comites Palatinos conniuentiâ Caroli IV. Bauaris ius antiquum vocis & dignitatis Electoralis abſtuliſſe; cum è contrario ex actis Authenticis, & omnibus ſeculorum illorum ſe hiſtorijs conſtet, Palatinos ius alienum ſibique indebitum nequaquam inuaſiſſe, ſed ius paternum ſibi à Ludouico IV. Bauaro per vim & fraudem extortum recuperaſſe, & conſenſu omnium Electorum & Principum Imperij familiæ Rhenenſi in perpetuum vniuiſſe: Adeoque Bauaros ante nuperam inuaſionem nihil quicquam iuris in Electoratu habuiſſe, nec præter detentionem violentam vnquam habituros. Conferatur enim quæſo vtraque tranſlatio, & Caro-

li IV. in Rupertum Palatinum, & Ferdinandi II. in Maximilianum Bauarum: & ſole meridiano clarior patebit illius æquitas, huius iniquitas. Illic Carolus IV. Ruperto Palatino dignitatem Electoralem non tam ex gratia contulit, quam vi à patruo oblatam ex debito reſtituit. Iſthic Ferdinandus II. dignitatem Friderico V. Palatino præter meritum ereptam Bauaro conceſsit, qui nihil iuris in illam poteſt prætendere. Illic Carolus IV. præuio omnium Electorum conſenſu, in publicis Imperij Comitijs Palatino ſuffragium Electionis reddidit; aſſentiente etiam Ludouico Romano, Marchione Brandenburgenſi, cuius potiſsimum intererat tantum honorem in familia ſua perennare. Iſthic Ferdinandus II. ex fœdere Monacenſi pro ſuppetijs contra Bohemos ferendis, Bauaro Palatinatum vendidit, antequam Palatinus pedem in Bohemiam intuliſſet, & contra publicas omnium Proteſtantium

exceptiones, oppoſitiones & appellatio-
nes Maximilianũ vi intruſit. Illic denique
Ludouicus cognomento Romanus,
Ludouici IV. Imp. filius, accepto ex re-
ſignatione fratris Ludouici I. Electora-
tu Brandenburgenſi 1352. ſolemni renun- 1352.
tiatione patrueli ſuo iure Electoratus
Palatini ceſsit. Hic vero Elector Palati-
nus nec ſuo nec fratris aut agnato-
rum nomine, iuri tam legitimo vn-
quam renunciauit, quin potius extrema
quæque & decennale exilium ſubire ma-
luit, quã dignitate adeo illuſtri tam iniu-
ſtè ſe deſtitui pateretur. Quod enim ex
Tranſactione Pragenſi Principibus Pa-
latinis offertur, ſi dimiſſo Electoratus iu- *Dion Caſſius Hiſtor. lib. XLVII. p. 336.*
re ſupplices veniam à Cæſare petiuerint,
prædia illis & reditus proſapiæ compe-
tentes aſsignatos iri, idem eſt quod le-
pidum illud Triumuirorum commen-
tum, quo concedebatur ei, qui vltro bo-
nis omnibus ceſsiſſet, vt deinde eorum
trientem repetere poſſet. *Id vero erat*,

ait Hiſtoricus, neque accipere quicquam, & inſuper oleam, & operam perdere. Qui enim vi aperta beſſe bonorum ſpoliati erant, quomodo quæſo trientem reciperent, præſertim cum ea tam vili pretio hoſtibus venderentur. Adde quod iniuria Palatino facta reliquis Proceribus paria minatur, & excluſio primi Principum Statuum inferiorum ruinam ſecum trahit. Si enim victores Auſtriaci tam propudiosè caput Electorum tractare non erubeſcunt, quid de cæteris membris Imperij futurum ſperamus, quæ nec potentia, nec dignatione, nec amicitia externorum illi ſunt conferenda. Profecto quicunque Proteſtantium illorum partibus acceſſerint, ad exemplum Ducis Saxoniæ, viribus, propugnaculis, & militia propria exauctorati, & reipſa inermes & impotentes inane Commiſſariorum Auſtriacorum nomen circumferent. Quicunque vero iugo hactenus Germanis inſueto collum protinus ſubdere

recuſarint,

recuſarint, nec clauſis oculis articulos quoſuis acceptauerint, illico ad exemplum Ducum Vvirtembergenſium, vt Imperij hoſtes & læſæ Maieſtatis Imperatoriæ rei proſcribentur, & patrimonijs omnibus exuentur. Vrbes Imperiales olim liberæ ad exemplum Donavvertæ, Ratisbonæ, Auguſtæ, ſocijs pro ſumptibus belli tradentur, & nominetenus pignori locatæ æterno ſeruitio alienis Dominijs ſubijcientur. Verum de Germania ſatis hactenus, & forte plus æquo dictum ſit: atque vtinam non plura & atrociora eſſent facta, quam dicta; nec peiora metuenda incommoda, quam narranda. Reliquum eſt, vt iniurias Principibus & Regibus extraneis conſpiratione Pragenſi factas, paucis perſtringamus. Ac principio ſane peregrinum non erat, Triumuiros noſtros Principes Ordineſque Germaniæ, quorum vires & ditiones iam ſpe præpopera deuorauerant, tam propudioſe excluſos à iure Tra-

Digitized by Google

ctationis communis reieciſſe: illud verò per abſurdum omnibus videtur, eoſdem neglecto & proſtrato iure Maieſtatis, tot Reges & Regna a S. R. Imperio independentia, quorum præcipuè intererat Europæ tranquillitatem, Germaniæ libertatem ſuam reſtitui, à conſilio pacificationis publicæ remouiſſe, & quaſi Dictatoria poteſtate omnibus Triumuiratui ſuo refragantibus bellum exitiale denuntiaſſe. Nam vt nihil dicam de Sereniſsimis Rege Britanniarum, cuius ex ſorore nepotes poſt tot ventoſas promiſſorum ambages tam crudelitet laribus & iuribus auitis arcentur: de Rege Daniæ, cuius gnato cauſa nec indicta nec cognita, Archiepiſcopatus Bremenſis cum Epiſcopatibus ſuffraganeis tam decretoriè eripitur: de Ordinibus vnitis Belgij fœderati, quibus reſtituendæ libertatis Germanicæ titulo arma cum Hiſpanis coniurata inferuntur: illud ab omni ratione eſt alienum, nec vllam ex-

cuſationis ſpeciem meretur, quod Reges regnaque Galliæ & Sueciæ, communibus armis implicata, & bello ſociali præcipuis Proteſtantium vnita, tam turpiter contra ius gentium proſcribuntur, & ad inſtar famulorum & mancipiorum dictatis Ibericis obedire iubentur: ſecus ſi faxint, exercitu LXXX. legionum non dicam profligandi, ſed (ſi Dijs placet) penitus abſorbendi. Quaſi vero pacem communem, non vt virtutis ſuæ præmium; ſed duntaxat vt potentiæ alienæ donum obtinere poſſint; aut ſecuritatem publicam à beneuolentia potius hoſtium emendicare, quam armis victricibus etiam à ſupplicibus extorquere debeant: aut denique ignorent ſubdolas eſſe inimicorum amicitias, & pacem ſponte oblatam fallaciorem quiete viribus parta. Quid enim quæſo aut iniquius aut inſulſius, quam regna exotica, in qua nec Imperator, nec Imperium quicquam habent imperij, ex arbitrio

Auſtriacorum & Saxonum pacem accipere turpem,inhoneſtam,indecoram, & ſibi ſocijſque tam calamitoſam quam ignominioſam: præſertim cum Sereniſſimus Rex Suecorum priuato nomine, ob ſingulares iniurias Auſtriacis bellum indixerit, ac etiam renitente prius Saxo-
1626. ne intulerit. Nimirum cum A. C. 1626. maximus Guſtauus contra Polonos in Boruſsiam cum exercitu mouiſſet, Auſtriaci non laceſsiti Ducem Holſatiæ cũ copijs & aquilis Imperialibus contra
1629. Suecos immiſerunt, & A. C. 1629. obſeſſo contra fidem Straleſundo commercia maris Balthici intercluſerunt, & denique Duces Megalopolitanos, inaudita cauſa proſcriptos ditionibus patrijs eiecerũt. Iniurijs tam atrocibus iure excitatus Auguſtus, quã tractatione amicabili obtinere nõ potuit, armis ſuam ſuorumque ſecuritatem recuperare tenta-
1630. uit: & tranſlato in Pomeraniam exercitu, ſuo nomine ſuis auſpicijs Imperatori

ri bellum intulit,& vltionis tam neceſſariæ quam legitimæ cauſas Electorum Collegio intimauit. Sed & victricibus armis pleraque peruagatus, priuato nomine & iure Maieſtatis proprio, cum Imperatore, Electoribus, & hoſtium Ducibus aliquoties tranſegit: & mox adiunctis ſibi Proteſtantibus; poſt victoriam 1631.
Lipſienſem, non modo cum Cæſare, & Ligiſticis, ſed etiam cum præcipuis Imperij Statibus & Circulis publicas confœderationes vel tentauit, vel iniit; non tantum conniuente Saxone, ſed etiam authoritatem ſummam & pacificandi poteſtatem Regi prudentiſsimo concedente. Qua ergo æquitate poteſt hodie Suecos, qui bello non mitigato ſed inflammato, eaſdem & prioribus adhuc atrociores iniurias perſequuntur, à iure tractationis communis excludere? qua conſcientia pactionem pacis publicæ ijs inuidet, qui priuatis cauſis & ſumptibus bellum ſuſceperunt? cur de remedijs

malorum agere vetat illos, quorum potiſsimum mala illa tolli intereſt? Indiuidua bona pax & libertas omnium ſunt, quorum bellum fuerat & iniuriæ: nec tranquillitatem amiſſam melius reparant, quam qui quietem iactura vitæ ſuæ quærunt. Quod ſi excluſio iſta Suecorum ipſa fronte patet iniuſta, longe iniuſtior fit ex perſona Saxonis. Scilicet cum Sereniſsimus Guſtauus iniurias priuatas bello peculiari contra Imperatorem vindicaret, Dux Saxoniæ alia de cauſa concitatis ad rebellionem Proteſtantibus, ipſe cũ ſuis iam obſeſſus & perditus, ex
1631. fœdere Torgauienſi omnes Euangelicorum fortunas virtuti ac protectioni Suecorum credidit, armorum conciliorumque ſocietatem inijt: atque ita præſenti diſcrimini ereptus, ex cauſa Suecorum peculiari communem omnium Proteſtantium litem fecit; bellumque priuatũ in defenſionem publicam conuertit. Quod ſi nunc periure, & contra

fidem ſacramento & chirographo ſancitam, à fœderatis recedit, & coniuratione Triumuirali amicitiam hoſtium redimere ſatagit, non ſtatim iccirco Sueci improbiſsimum exemplum ſecuti, iuri ſuo renuntiabunt, & poſitis turpiter armis iniurias priuatas perſequi deſiſtēt: quod vt ante infauſtam illius ſocietatem fortiter cæperunt, ita etiam poſt infame eiuſdem diuortium feliciter exequentur. Neque enim cum domeſticis virtutibus abundent, in periurijs & fraudibus, ſed in fortitudine & rebus bene geſtis, aliorum Principum imitatores eſſe volunt; cum apprimè ſciant, à partibus hoſtium huc vſque perfidiam, ſæuitiam, ignauiam, & calamitatem: à ſuis fidem, tutelam, virtutem, adeoque & fortunam hactenus ſtetiſſe: & quod magnos animos decet, in bona cauſa malint fortiter occumbere, quam turpiter recedere. Tantum ergo abeſt, vt Dux Saxoniæ quaſi Proteſtantium Dictator, & Au-

ſtriacorum commiſſarius,cum inani ſua plenipotẽtia Suecis inuitis pacem poſsit imperare, vel eorum nomine cum Imperatore tranſigere:vt è contrario,etiam ſi Imperator petitis & iniurijs eorum omnibus ſatisfeciſſet, illi tamen nouam & grauiorem Saxoni litem intentare, & actionem perfidiæ,periurij, rupti fœderis,obliti beneficij, violati iuris gentium priuatim debeant inſtituere. De proprijs ergò iniurijs ſuo nomine prius cum Suecis tranſigat, & poſtea ex Imperatoris commiſsione lites Imperij decidet. Purget ſeipſum perfidus,& ante crimina ſua excuſet,quam aliorum defendat. Hiſce non leuioris momenti eſt, quod Sueci, poſtquam ſemel cauſam Proteſtãtium, & libertatem Germaniæ defendendam ſuſceperunt,cum multis Imperij Principibus & Ordinibus, pro bono publico tuendo fœdera reciproca ſanxerũt, puta cum Stralesũndinis 15. Iulij. 1628. cum Duce Pomeraniæ 10. Iulij 1630. cum Electore

III. Quia Sueci fœdera & militiam turpiter deſerere non poſſunt. Vide Acta & Tractatus inter Suecos & Saxones conceptos Anno 1635. n. XVII. XIX. & XXVIII.

Electore Brandenburgico 1. Septemb. 1631. cum quatuor Circulis ſuperioribus in Comitijs Francofurtenſibus 1633. & cum Statibus Saxoniæ inferioris in Conuentu Halberſtatenſi: & ſic vocatis ad libertatem Europæis, fortiſsimos exercitus ex pluribus nationibus collegerunt, eorumque virtute cæſis hoſtibus, magnis ſumptibus, maioribus ſudoribus complures Germaniæ vrbes & munitiones cœperunt, & inæſtimabili Regis ſui iactura propugnauerunt. Ideoque loca fortiter occupata ſegniter deſerere, niſi rebus omnibus in integrum reſtitutis: vel militiam tam celebrem quam nobilem friuole dimittere, niſi ſolutis ſtipendijs, ſaluo honore & æſtimatione ſua non poſſunt. Apprime enim ridiculum foret, eos tot validiſsima propugnacula ingentibus impenſis & periculis acquiſiuiſſe, vt mox pro nutu hoſtium ea gratis redderent: & tot lectiſsimos & nobiliſsimos viros militię ſacramento obſtrinxiſ-

ſe, vt eos truncatis corporibus,exhauſtis peculijs, & hiantibus adhuc vulneribus miſeros,inermes, igneque & aqua interdictos dimitterent. Saxonis hoc eſt & ſociorum, militum corpora & animas teruncio æſtimare, exercitus famelicos oppreſsione ſubditorum ſubleuare, temerè parta turpiter deſerere, pro ſortis inconſtantia odia & amicitias alternare, & denique proſcriptionem Triumuiralem pro pace generali interpretari. Sueci laureis æque ac commercijs nobiles, fortitudinem pariter & conſtantiam venerantur: & vt in toga prudentes, ita in ſago cordati, vbi de honoris iactura agitur, bellum atrox quam ſterilem pacem malunt,fœderatoſque potius morte honeſta redimere,quam turpi fuga & clandeſtina ſeceſsione deſerere præferunt; probè edocti, quicquid vbique ſociorum intereſt,ſua etiam intereſſe;& communis detrimenti partem ad ſe quoque ſingulos pertinere. Vnde nulla vnquam

ratione vel vi induci poterunt, vt negle-ćto turpiter bello, deluſis fœderatis, proſtitutis amicis, quibuſcunque conditionibus pacem admittant potius, quam tractent, & amicitiam hoſtium amplexentur magis quam mereantur; præſertim cum penitus compertum habeant, quod ſenſum illius diſcriminis, cui ſe Suecicis ab armis expoſitam, ac pene iam in extremis conſtitutam vidit domus Auſtriaca, nulla dies, nulla vnquam adimet obliuio. Mores illius gentis non ſatis nouit, qui tale quicquam poſſe illi excidere putat. Longa Iberis offenſionum, breuis beneficiorũ eſt recordatio: nec vt olim Cæſar omnium ſe memorem prædicabat, præterquam iniuriarum; ita nunc quoque Cæſaris ingenium eſt, qui quas ſibi & familiæ ſuæ illatas fingit iniurias, non modo nunquam condonat vel obliuiſcitur, ſed in gnatis etiam & nepotibus innocentibus, expectata vel per ſeculum occaſione vlciſcitur. Nullo igitur iure

vel ratione à Suecis exigi poteſt, vt cautione & vadimonio Saxonis contenti, qui iam ſæpius illos tam perfide decepit, exercitus victores ex Imperio abducant, vt ſine ſecuritate pacis vniuerſalis bellum publicum deſerant, & vires fortuneſque ſuas, ac ſociorum cunctas ancipiti hoſtium immaniſsimorum beneuolentiæ credant. Quaſi vero bello tam fortiter tam feliciter geſto, pro trophæis nihil præter odia Auſtriacorum immortalia, pro triumphis ſimultates duntaxat minaſque Hiſpanorum æternas debeant referre. Sed deſino ſplendidiſsima geſta gentis victricis ſcriptis imbellibus deterere, quæ vt olim deſtructo Romanorum Imperio Occidentem libertati ſuæ reddidit, ita hodie reſtitutioni ſoſpitatis Germanicæ intenta, cauſam ſuam melius armis quam calamis defendit, & non tam actorum ſuorum excuſationes, quam encomia & acclamationes deſiderat. Ad Francos venio, & populos ipſa

ſa

ſa nominis notatione libertatem ſpirantes: qui cum optimo iure, pijſsimo propoſito, bello communi ſeſe immiſcuiſſent, ex decreto Triumuirorum Pragenſium præter ius & contra pietatem, non modò à pacificatione publica reijciuntur, ſed etiam vt Imperij hoſtes, Hæreticorum fautores, Turcarum incentores & Reipublicæ Chriſtianæ perturbatores proſcribuntur, & ſpecie belli Lotharingici iunctis Germanorum viribus excindi iubentur. Nimirum cum A.C. 1631. Sereniſsimus Rex Suecorum fuſis ad Lipſiam Auſtriacorum & Ligiſticorum copijs impune Imperium peruagatus, trepidante Imperatore, fugiente Bauaro, & ne muſsitante quidem Ibero, meliores Germaniæ prouincias vrbeſque occupaſſet, atque ea ratione res Catholicorum in extremas anguſtias, & præſentiſsimũ exitium adduxiſſet: Rex Chriſtianiſsimus, ſemper hactenus Hæreticorum domitor, Catholicorum vin- 1631.

dex, veritus ne quid ex iure belli ciuilis decederet cauſæ religionis, non modo miſsis ad Regem victorem legatis, Catholicis omnibus ſub eius poteſtatem redactis, plenam fidei libertatem & exercitium obtinuit: ſed etiam oblato reliquis neutralitatis remedio, Archiepiſcopatum Treuirenſem, Epiſcopatus Spirenſem & Baſileenſem, plurimoſque alios Germaniæ Duces, Comites & ciuitates in tutelam & protectionem regiam ſuſcepit; & moderatione tam pia quam ſolerti infallibilem Catholicorum in Imperio ruinam, imminenſque à Proteſtantibus exitium inhibuit. Ita conſeruata & ſtabilita fide Maiorum, Principes iniuſte ab Auſtriacis eiectos, ciuitates libertate ſpoliatas, & vicinos iam iugo Hiſpanico vel oppreſſos vel opprimendos cernens, iunctis cum Sueco armis ſocialibus, Principes ditionibus, ditiones Principibus, ciuitates immunitatibus, Imperium iuribus ſuis & dignitati

reſtituit, vicinoſque & amicos omnes ex Iberorum tyrannide aſſeruit. Et tamen pro omnibus hiſce in Religionem & Rempublicam Chriſtianam meritis, ab Auſtriacis tantum non proſcriptus, vt totius belli Germanici incentor, fomes & propagator accuſatur, & quaſi cum Lutheranis ad extirpationem veritatis Catholicę coniuraſſet, falſiſsimis calumnijs proſcinditur. Ipſe etiam Imperator, cui zelus Ludouici XIII. ex tot bellis contra Hæreticos geſtis nequit eſſe incognitus, tamen in progrãmate de commodis & vtilitatibus pacis Pragenſis, edito Badæ 8. Iunij 1635. diſertè profitetur, *ſi Tractatione Pragenſi bono Status & Religionis alicui forſitan non ſatis conſultum videatur, eius rei cauſam non ſibi & ſocijs, ſed Regi Chriſtianiſſimo eſſe attribuendam: qui licet vulgo filius Eccleſiæ primogenitus audire velit, non tamen modò non erubuerit, initio belli iſtius amicitiam Hæreticorum ambire, externum Suecorum Regem*

ad ſuppetias euocare, cum eo ſolemne fœdus ſancire, vires vtrorumque coniunctas alere ac firmare, & proprio motu ſine vlla cauſa contra fidem datam prouincias Imperij inuadere: ſed etiamnum quotidie conetur, Principes Statuſque ab Imperatore auulſos, contra ipſum incitare: imò quod, poſtquam per victoriam Nordlingenſem plurimi partibus ſuis acceſſerint, ipſe armata manu vrbes in poteſtatem ſuam redactas occupauerit, ex ijs præſidia Catholicorum eiecerit, Hæreticorum reſtituerit, & quantum in ſe ſit, progreſſum pacis & Religionis Catholicæ in Imperio prohibere tentet: adeò etiam, vt Duci Saxoniæ promittere auſus fuerit, ſi à partibus ſuis ſtare vellet, ſe ipſi non modò meliores pacis conditiones procuraturum, ſed etiam manibus & pedibus allaboraturum, vt hæreſis Lutheranorum cum reliquis ſectis in regno Bohemiæ, eique vnitis prouincijs publice ſtabiliretur. Deus tuam fidem! Rex Chriſtianiſsimus, qui reliquis fugientibus ſolus interceſsione ſua apud Suecos fidem

Catholicam

Catholicam in pleriſque Germaniæ prouincijs conſeruauit, eius progreſſum & incrementum pro virili inhibuerit! qui plures Epiſcopos flammis hoſtilibus eripuit, ipſe bello contra Catholicos flammas ſubdiderit! qui Hæreticos Galliæ omnibus viribus exutos proſtrauit, ei ſcilicet curæ fuerit, Sectarios Bohemiæ ad priſtinam potentiã eleuare! Friuola hæc ſunt aduerſariorum commenta, qui cum inuaſiones ſuas nullo iuris ciuilis titulo palliare poſſunt, ad fictitiam oppreſſæ religionis laruam confugiunt: & quaſi fidei non tyrannidis deſtruendæ causâ bellum in Germania gereretur, omnes libertatem Imperij propugnantes, vt hæreticos vel ſaltem Hæreticorum fautores traducunt. Vera & præcipua querelæ & indignationis huius cauſa eſt, quod Rex Chriſtianiſsimus rebus aliunde deſperatis, Archiepiſcôpum Treuirenſem ab Iberis oppreſſum, in protectionem & clientelam ſuam recepit: quod eiectis

1632. ex vrbe & ditione Treuirorum Hiſpanis, Principem liberum iuribus & dignitati ſuæ reſtituit: quod inde iunctis cum Sueco armis plures alios Imperij Status, puta Palatinos, Tribocos, Vveſtraſios direptionibus Auſtriacorum & Lotharingorum eripuit: quod exemplo nec nouo nec inaudito, ſed tralatitio, & à maioribus accepto, ambitioni hoſtium metas poſuit, & libertatem Germanicam fortiter defendit. Protectio miſerorum, erectio afflictorum, reſtitutio eiectorum Regibus eſt naturalis, & non tam iure ſceptri, quam lege humanitatis Principibus competit. Boni Magiſtratus eſt regere ſuos, protegere ſocios: nec vllum maius boni Imperij inſtrumẽtum, quam ſaluati ab hoſtibus vicini. Quod ſi iure communi omnes Reges decet afflictis ſuccurrere, nullis tamen iuſtius vel felicius vnquam id vſurpatum fuit, quam glorioſiſsimis Francorum Monarchis: qui iam à ſeculo & amplius, vt antiquio-

ra & magis extranea linquamus, Catholicis & Proteſtantibus Imperij Statibus frequentes contra inuaſiones Hiſpanorum ſuppetias tulerunt. Ita Franciſcus I. A. C. 1534. iunctis cum Philippo Haſ- 1534.
ſiæ Landgrauio armis, Vlricum Ducem Vvurtembergenſem fraudibus Auſtriacorum à Sueuis eiectum, poſt quindecim annorum exilium, iuribus & ditionibus omnibus, quos iam Ferdinandus I. ſub nomine feudi Imperialis occupauerat, reſtituit. Ita Henricus II. inito cum Proteſtantibus fœdere 1552. Ioan- 1552.
nem Fridericum Electorem Saxoniæ, & Philippum Haſſiæ Landgrauium, à Carolo V. contra fidem iam vltra quinquennium cuſtodiæ mancipatos, in priſtinam libertatem reduxit. Ita A. C. 1620. cum ex Vnione Proteſtantium & 1620.
turbis Bohemicis res Catholicorum in magnas redactæ eſſent anguſtias, & Cæſar ipſe pene iam Viennæ obſeſſus, non modo de regno Bohemiæ & Hungariæ,

Digitized by Google

ſed etiam de prouincijs hæreditarijs periclitaretur, Ludouicus XIII. tam zelo conſeruandæ fidei Catholicæ motus, quam iteratis Auſtriacorum precibus exoratus, miſsis legatis ad Conuentum Vlmenſem Vnitorum omnium vires & conſilia diſtraxit, inducias inter vtrorumque exercitum conciliauit, pacem Tranſyluanorum Principi perſuaſit, atque ita data Cæſari ad reſpirandum occaſione, domum Auſtriacam certiſsimæ ruinæ eripuit. Quod ſi Imperator tot beneficijs abuſus, victorias contra Hæreticos & rebelles obtentas hodie in innocentium cladem & vicinorum oppreſsionem conuertit, & fortunas Imperij ad priuata familiæ ſuæ commoda transfert, nemini mirum videri debet, ſi Rex Chriſtianiſsimus omnium illarum victoriarũ author, enormes eius vſurpationes moderari, & ad iuſtitiæ prioris æquilibrium reducere conetur: præſertim cum probe calleat, quid inter Rem-

publicam

publicam & religionem ſit diſcriminis, nec Imperij aut ſociorum iura ita euehat, vt fidei Catholicæ cauſam vel exercitium deprimat. Quod verò Bruxellenſis ille calumniarum conſarcinator protectionem iſtam vicinorum principum tanquam inuaſionem prouinciarum exterarum traducit, illud mendacij ipſius inanitate facile refellitur. Namque, vt ex priſcis & Authenticis Hiſtorijs conſtat, Archiepiſcopatus Treuirenſis cum Epiſcopatibus ſuffraganeis & vicinis Mediomatricum, Tungrorum, & Virodunorum, ab vltima antiquitate regno Francorum vniti, Anno demum 943. clade & imprudentia Ludouici Vltramarini ad Otthonem II. Imperatorem tranſlati, tamen ſemper poſtea ſub amicitia & clientela Francorum, licet vrbes eſſent Imperio ſubiectæ floruerunt: & ipſi ciuitatum Antiſtites Gallorum ſuppetias & protectionem, ſiue vlla Imperij noxa, & libertatis ſuæ detrimento

M. M. Author τοῦ ἐμφανιστικοῦ pro domo Auſtriaca Bruxellis editi. 1635. Richard. Vvaſſerburg. in Antiquit. Galliæ Belgicæ lib. I. p. 12 & lib. VII. p. 102.

943.

expetierunt & obtinuerunt, prout inter
1337. alios A. C. 1337. Henricus Aſpremontius Verdunenſium Epiſcopus Philippi
1450. Valeſij: A. C. 1450. Conradus Bayerus Metenſium Antiſtes Renati Andegauenſis Lotharingiæ Ducis: & 1467. Ludouicus Borbonius Leodienſium Pontifex Ludouici XI. Galliarum Regis, & Caroli Audacis Burgundiæ Ducis tutelam & patrocinium contra rebelles vel inuaſores iuris Eccleſiaſtici, illæſa Maieſtate Imperij poſtularunt & impetrauerunt. Quod vero idem rabula excipit, ex antiquiſsimo fœdere inter Præſules Treuirorum & Comites Duceſque Lucelburgenſes inito, Archiepiſcopatum & Ciuitatem Treuirenſem ſub protectione & Aduocatia Ducum Lucelburgenſium eſſe: ideoque illuſtriſsimum Treuirorum Electorem potius Hiſpaniarum Regis, qui hodie Ducatum Lucelburgenſem obtinet, quam externam Gallorum protectionem ambire debuiſ-

ſe, friuolum eſt & ineptum. Nouimus enimuerò iam ab aliquot retrò ſeculis Comites Lucelburgenſes ſpontaneam tutelā Treuiris obtuliſſe, & Carolum IV. eiuſdem ſtirpis Imperatorem, vt Vvenceſlao filio ſtupidiſsimo Imperiū emercaretur, Anno 1374. Cunoni Archiepiſcopo Treuirenſi pro ſuffragio Electorali nō modo ingentem pecuniæ vim exſoluiſſe, ſed etiam mercenariam protectionem contra cuiuſcunque generis hoſtes promiſiſſe: & mox A. 1376. litigio de iuriſdictione inter Præſulem & Ciuitatē ad ſe delato, vrbem ipſam & Rempublicam pleno iure Antiſtiti ſubieciſſe, quod tamē hodiedum à ciuibus in controuerſiam vocatur. Sed nouimus etiam, protectionem iſtam Archiepiſcopum iure ſuo abſoluto non ſpoliaſſe, nec eum ex cliente Lucelburgenſium Hiſpanorum feciſſe mancipium: iuſteque poſſe principem liberum deficiente protectoris antiqui patrocinio, tutoris noui clien-

Guilhelmus Kyriander in Annalibus Treuirorum. p. 158. & 194.

1374.

1376.

telam impetrare: præcipuè cum tanta ingruit neceſsitas, vt niſi præſentiſsimo remedio ſaluari non poſsit. Quod cum liberè Illuſtriſsimus Treuirorum Elector ab imminentibus Suecis iam peſſumdandus fecerit, non eſt quod Hiſpanos malè habeat: qui tantum abeſt, vt tunc temporis alijs iure protectionis ſuppetias ferre potuerint, vt ipſi potius bello grauiſsimo cum Hollandis implicati, integras prouincias & vrbes munitiſsimas Venloum, Ruremundam, Traiectum & Limburgum perdiderint. Neque vero hic prætermittendum eſt Auſtriacorum artificium, qui dum pace Pragenſi tranquillitati Germaniæ ſtudere ſe ſimulant, tamen neglectis Imperij rationibus, domeſticis ſuorum commodis vnice conſulunt. Cum enim iam ab antiquo plures inter Gallos & Hiſpanos de Regnis Neapolitano, Siciliæ & Nauarræ, & Ducatibus Mediolani, Burgundiæ, &c. controuerſiæ & bella extiterint, Francis iniuſtè

ſtè erepta iuſtè ab Iberis repetentibus: Imperator Gallis bellum publicum denuncians, lites ſuorum priuatas toti Imperio communes facit, gentilibus commodis omnes Principes aſtringit, & pro tuenda Hiſpanorum tyrannide Germanos cūctos armis externis implicat: techna quidem Auſtriacis iam olim tentata, ſed sēper à Statibus Imperij fortiter reiecta. Sic enim A. C. 1492. Maximilia- *1492.*
nus I. in Comitijs Confluentiæ habitis, *Extant apud Goldaſtum*
& Carolus V. in Epiſtola ad Electores *Conſtitut. Imper.*
data Madriti 29. Nouemb. 1526. & rur- *Tom. II. & IV.*
ſus 1542. in Comitijs Spirenſibus, Caro- *1526.*
lum VIII. & Franciſcum I. Francorum *1542.*
Reges, vt turbatores Reipublicæ Chriſtianæ, Ducatuum alienorum inuaſores, Turcarumque & Hæreticorum fautores traduxerunt, & bella priuatis ſibi facta, vt iniurias Imperio illatas, totius Germaniæ viribus vindicari incaſſum petierunt. Eadem ratione eorum ſucceſſores viam nullam omiſerunt, vt pu-

blico quodam Comitiorum decreto Ordines fœderatos Belgij, ob excuſſum Hiſpanorum iugum tanquam Imperij rebelles, & læſæ Maieſtatis reos proſcriberent: quod ipsũ tamen ordines Imperij in Comitijs Vvormatienſibus 1578. & nuperis Ratisbonenſibus 1630. abſolutè reiecerunt. Et vaniſsime in argumentum belli cauſa Lotharingica aſſumitur: quia Auſtraſia à primis olim ſeculis ſceptro Francorum vnita, & præcipuum regni Gallicani ſub vtraque ſtirpe patrimonium, Anno demum 980. à Germanorum Regibus ſimulato beneficiarij iuris obſequio Francis ſurrepta, & à Lothario Rege Francorum contra voluntatẽ Procerum Otthoni II. Imperatori in feudum collata fuit. Quo reſpiciens Gerbertus poſtea Archiepiſcopus Rhemenſis, & tandem Pontifex Romanus Epiſt. xxxv. *Adalbero*, inquit, *Rhemorum Archiepiſcopus à Lotharienſis regni primatibus obſides accepit, eoſque filio Impe-*

1578. 1630. 980.

Aimoinus Hiſt. lib. 5. c. 44. p. 510. editionis Freherianæ. Continuator Chronici Flodoardi, qui extat To. II. Hiſt. Gall. editorũ à V. C. Andrea Ducheſnio

ratoris parere coegit ſub Regis Francorum clientela. Quod ſi ſuccedente tēpore Lotharingiæ Duces in confinio vtriuſq; potentiæ conſtituti, & habitu ſortis ancipiti inter vtroſque fluctuantes, neutri fideles vtrique obſequium ſubtraxerunt; certe non magis Cæſaris intereſt, cauſæ Lotharingicæ miſcere Imperiū, quam Lotharingi fuerat copulis clandeſtinis & armis apertis Galliæ quietem turbare, & iniurijs atrociſsimis Maieſtatem Imperij Francici lædere. Sed deſino iuſtiſsimæ cauſæ patrocinium obtrudere, quæ iam ſæpius è cælis approbata, hoſtibus plus reliquit ignominiæ, quam gloriæ. Et ex hactenus expoſitis colligo, vnicū Trāſactionis Pragenſis ſcopum fuiſſe, magnitudinē domus Auſtriacæ per faſq; nefaſque promouere, Imperium illi cum regnis Bohemiæ & Hungariæ facere hæreditarium, & denique proſtratis reliquis Europæ regnis Monarchiam Hiſpanicam vbique ſtabilire. Ita pene per

1636. p. 626.

Extant ibidem. p. 797.

ſingulos huius conſpirationis articulos, quicunque Iberis vel aduerſi vel ſuſpecti, vt Franci, Sueci, Hollandi, à pace excluſi armis communibus impetuntur: quicunque vero illis ſunt amici, vicini, aut affines, exuuijs proſcriptorum aucti ingentibus præmijs afficiuntur. Scilicet vt familia Auſtriaca abſolutè Germaniæ dominari poſſet, primo principem Imperij columnam, Electorem Palatinum proſcriptum oportuit, quippe cuius vires, fœdera, & amor erga patriam conſilijs Hiſpanicis iam dudum fuerant aduerſa. Mox deiecto Palatino, ditiones eius & dignitates Bauaris & Hiſpanis conferendæ erant; non tantum quia regiones Bauari patrimonio Cæſaris veluti pro vallo contra ſuperioris Germaniæ Principes Hæreticos obiaceant: ſed etiã quia hac ratione Auſtriaci Collegij Electoralis ſuffragia ſemper in numerato habituri ſint. Denique, vt Imperator pro libitu omnibus Imperij viribus vteretur,

retur, exercitus Lxxx. legionum ab ipſis Principibus ſuppeditandus & nutriendus, Hungariæ Regis imperio abſoluto conceditur; quo non modo Duces & Ordines refractarij caſtigētur, ſed etiam quod reliquum eſt Proteſtantibus potentiæ penitus excindatur. Sic domita & oppreſſa Germania, recuperata Lotharingia, facile poſtea viſum inuadere Galliam, ſubijcere Hollandiam, & Britanniam iam olim thoris Hiſpanicis debitam ſub iugum mittere: prout ipſe Imperator confitetur in Reſcripto de cauſis & vtilitatibus pacis Pragenſis edito Badæ 8. Iunij 1635. *Pace hoc modo conſtituta, facillimo negotio nepotem ſuum Hiſpaniarum Regem Hollandos in ordinem redacturum.* Tantum ergo abeſt, vt Tranſactione iſta pax & tranquillitas publica fuerit quæſita, vt potius extincta vbique pace, bellum per totam Europam ſuſcitatum, omneſque Principes volentes, no-

lentes armis fatalibus domus Auſtriacæ fuerint implicati. Miſerrimam ſane pacem, quæ vi aperta imperetur! triſtiſsimam tranquillitatem, quæ omnia turbet! infidam ſecuritatem, quam ſinguli caueant! Profecto metus & terror infirma ſunt charitatis vincula: quæ vbi remoueris, qui timere deſierint, odiſſe incipient. Ibi tantum pacem conſtat eſſe fidam, vbi voluntarij ſunt pacati; neque eo loco, vbi ſeruitutem eſſe velis, diu ſperandam. Certe nemo mortalium in ea conditione, cuius eum pœniteat, diutius quam neceſſe ſit, perſtabit: & ſemper ſub quiete incerta, quanquam manente in ſpeciem concordia, offenſarum operta metuentur. Ea demum vera tranquillitas eſt, quam omnes approbant, ſinguli expetunt; qua iræ mutantur in amicitias, odia coeunt in fœdera: & æqualitate inter cunctos ſeruata, Amneſtia ad quoſuis extenſa, hoſtes vel

beneficiorum magnitudine , vel iniuriarum obliuione vertuntur in amicos.

Finitum $\frac{\text{XXX.}}{\text{XX.}}$ *Maij* M. DC.XXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] by Google